ELOGIA MARIANA ALPHABETICIS LITERIS ORDINE DIGESTA, SACRAE SCRIPTURAE...

Jean Vincart





BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
2 K
39




SALVE
REGINA

ELOGIA MARIANA

ALPHABETICIS
LITERIS
ORDINE DIGESTA,
SACRÆ SCRIPTVRÆ
SANCTORVM PATRVM
AC THEOLOGORVM SENTENTIIS
necnon Moralibus Documentis illustrata






AVCTORE
R. P. IOANNE VINCARTIO
Gallobelga Insulano e
Societate IESV.


MARIÆ
quævis litera
Nomma refert


ELOGIA MARIANA ALPHABETICIS LITERIS ORDINE DIGESTA,

SACRÆ SCRIPTVRÆ SANCTORVM PATRVM, AC THEOLOGORVM SENTENTIIS, NECNON MORALIBVS DOCVMENTIS ILLVSTRATA.

AVCTORE
R. P. IOANNE VINCARTIO Gallobelga Insulano è Societate IESV.







TORNACI,
Typis Viduæ ADRIANI QVINQVE', sub signo SS. Petri & Pauli, 1668.

ILLVSTRISSIMI
AC REVERENDISSIMI
FRANCISCI
GANDAVILLANI
EPISCOPI TORNACENSIS
PIIS MANIBVS,
TOTIQVE AMPLISSIMÆ AC PRIMARIÆ
ASSVMPTÆ IN COELVM VIRGINIS
SODALITATI
APVD PP. SOCIETATIS IESV, TORNACI.



AMPLISSIMI DD. SS.

Extincto GANDAVILLANO ſidere, quod ELOGIA hæc MARIANA, proditura in lucem ſpectaverant; ne ſubſiſterent, effecit, cum defuncti Epiſcopi recens adhuc, atque illuſtris memoria: tum veſtra in MARIAM pietas & ardor, publico judicio, & gratus & benignè lucens. Quidni & hunc conſtantem, atque, vt ita dicam, Nervium appellem? quippe qui à Divis Piatone & Eleu-

therio Nerviorum Proepiſcopis hauſtus, adhuc in vobis viget, tranſiturus etiam, quaſi hæreditario jure, ad poſteros. Extant certè etiamnum pietatis hujus in Deiparam Virginem haud pauca argumenta: quò factum eſt vt in Tabulis publicis ac Senatorijs, *Civitatis Tornacenſis Patrona ſpecialiſsima* nuncupetur.

Documento, inſtarque omnium eſſe poteſt, Sodalitas veſtra, quæ ab annis circiter Septuaginta præeunte Reverendiſſimo Michaele Deſnæo Epiſcopo Tornacenſi cœpta eſt; primoque ejuſdem Præfecto MAXIMILIANO GANDAVILLANO tum Canonico, qui deinde ob Illuſtriſſimæ familiæ præclara facinora, propriæque Virtutis merita ad Infulam Tornacenſem evectus eſt, ita inquam accrevit; vt dubium ſit modò, illuſtriórne alia Sodalitas per Belgium in Collegijs noſtris reperiatur. Enimverò quæ nomina in iſto Virginis albo non legas? Tabulas inſpice, & occurrent ſtatim è clero quidem Epiſcopi, Decani Cathedrales, Abbates, Archidiaconi, Theologiæ Doctores, etiam Sorbonici, Illuſtres denique Canonici: Ex Sæcularibus verò Aurei Velleris Equites, Comites, Marchiones, Barones, Nobiles Toparchæ, Conſules, Senatores,

Cives primarij: planè vt ad hunc Cœtum Illustrandum, quidquid in quovis Ordine ſplendoris eſt, collecto ſtudio atque opera contendiſſe videatur. Summum hoc dicerem, niſi etiam Sodalitatis hujus Veſtræ Præfectura de eximijs, maximiſque nominibus gloriaretur, futuræ felicitatis certo quodam augurio. Non poteſt non animum etiamnum excitare, fauſtiſſimum iſtud Anagramma, quo Illuſtriſſimi defuncti Epiſcopi Præfectura exornata eſt. Quod quia myſterio propius viſum eſt omnibus, nec ſine admiratione, hîc repono, ne poſteris intercidat.

Franciſcus Villanij à Gandavo Dei gratia Tornacenſis Diœceſeos Nerviorum Epiſcopus.

Anagramma.

Divo Deiparæ conſilio, ac Sodalium aſſenſu, jure nunciaris Præfectus Congregationis.

Hæc ſunt, *Ampliſſimi DD.* Sodalitatis Veſtræ Illuſtria ac meritò laudanda initia, progreſſus, incrementa, etiam augenda in dies: quippe amoris Veſtri tenaci flammæ, majorumque Veſtrorum æmulæ, vaticinium hoc jure debetur.

Felicibus orſis
Accreſcent magnæ præconia debita Divæ.

Quamobrem neque ex vano auguror, confido-

que munus hoc meum non modò gratanter; sed & benevolè à Vobis acceptum iri: tum quia Marianum Opus est; tum quia Vestro calculo, dum hæc ELOGIA assuetis Sodalium consessibus, voce exponerem, benignè approbatum. Quinimò & publico vtile, & ad Deiparæ laudem propagandam opportunum judicastis; si calami, ac typorum beneficio lucem aspiceret.

Eo igitur prodit fine, & ad manus Vestras devoluitur, apud quos strata via est æternæ felicitati, quam calcatis, dignitate & affectu inter Parthenicos magni; majores quoque exemplo, cœlo postremùm, æternâ laureâ decorandi. Votum est meum. Tornaci Nerviorum, Calendis Ianuarijs M. DC. LXVIII.

AMPLISSIMARVM DD. VV.
Servus in Christo,

IOANNES VINCARTIVS
Director Sodalitatis.

AD

AD LECTOREM.

DE hoc Opere meo, Amice Lector, *paucis tecum præloqui adlubet. Ac primùm scire te velim, Opus hoc, quod publico tradimus,* MARIÆ *debitum esse: beneficij accepti, cum adhuc junior essem, loquacem, vt ita dicam, tesseram: soluta scilicet linguæ scabritie, quò facilior mihi ad Societatem* IESV *accessus esset, & fuit. Beneficium istud B. Virginis, jam pridem votivo Chronico illigavi.* LIngVa MeaLaVDabIt te, *Et hactenus quidem habendis publicè ad populum concionibus id præstiti, quantùm per vires ingenij & corporis licuit: nunc septuagenario major dirigendis Sodalitatibus adhuc incumbo;* MARIÆ *laudator, vbi se offert occasio, & campus veluti ex professo aperitur. Hinc* ELOGIA MARIANA, *quæ solitis menstruatim Sodalium confessibus voce exposui, prodeunt in lucem: atque in primis hic Liber, prodromi instar, tentaturus viam publicam; simul exploraturus hominum judicia: quæ si faverint, & vita suppetat, Alphabetum sequetur Centuria.*

Alterum est, Operam me dedisse, vt Elogia *hæc maximè selecta essent: quapropter nulla hîc profero, aut à me inventa, aut de novo excusa. Siquidem existimavi fore, vt majoris momenti ac ponderis essent; si ex alijs, ac publicis fontibus haurirentur. Percurri igitur vetus Testamentum: nec omisi figuras* Deiparæ *encomiasticas, quæ ad rem nostram &* Alphabetum *hoc conficiendum opportunas esse judicavi. Sanctos præterea Patres, tam Latinos, quàm Græcos*

excussi: Antiphonas item, Hymnósque Ecclesiasticos: ex quibus selegi titulos, quibus maximè B. Virginis MARIÆ *gloria & decus eluceret.*

Tertium subjicio; cavisse me in hoc Opere, ne ex veteri proverbio Actum agerem. *Scio equidem à nonnullis ejusmodi laudum elenchos compositos fuisse: invenies apud Carthagenam, Aloysium Novarrinum, Paulum de Barry: etiam paulò fusiùs apud Raynaudum Nostrum: in eo Libro, quem* Nomenclatorem Marianum *appellat. Hic verò non nudos titulos, sed argumentorum & rationum ornatu convestitos induco: adeò vt veluti ex antiquis ruderibus, nova aliqua ædificij fabrica, suis Paragraphis, & moralis doctrinæ præceptis, tanquam anaglyphis spectanda & venusta consurgat.*

Quartum addo de decasticis Gallicis, quæ visum est pluribus operi huic Latino indere; quæ affixa Sodalitatis foribus, tanquam Hedera vino vendibili, placuerunt, & orexim movêre. Rejeci tamen ea ad calcem Operis; ne idiomatum permixtione, aliquibus aut præter morem, aut fortasse etiam insulsum videretur.

Quare postremum te rogo, Mî Lector, *vt hisce* Elogijs Alphabeticis *vtaris ad laudem Virginis, nec pigeat ea, vti Vates monet,*

Nocturna versare manu, versare diurna.

Speróque fore, certè & opto, vt hoc exercitium vtiliter tibi cedat. Quidni etiam eveniat, quod in Templorum dedicatione fieri assolet, descripto super pavimenti aream Alphabeto: ita quoque ad Deiparæ cultum & honorem, Alphabeticis hisce præconijs, quasi de novo consecrari?

PROTESTA-

PROTESTATIO.

CVm varia in hoc Opere à me producantur, quibus necdum accessit authoritatis Ecclesiæ approbatio: ne quid contra Summorum Pontificum Decreta agere videar; protestor nihil à me hîc produci, quod supra naturæ cursum & ordinem, miraculi instar esse velim: sed ea me Scriptorum, aut personarum nudo testimonio, ac fidei humanæ relinquere. Atque adeò quidquid hoc Libro continetur, Sedis Apostolicæ judicio ac censuræ, lubens volensque submitto.

FACVLTAS

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS GALLOBELGICÆ SOCIETATIS IESV.

EGo infrascriptus Societatis IESV in Gallo-Belgica Provincialis, juxta privilegium eidem Societati concessum, quo Typographis omnibus prohibetur ne libros ab ejusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant: facultatem do Viduæ Adriani Quinqué Typographi Tornacensis, vt Librum, cui titulus est. *Elogia Mariana Alphabeticis literis ordine digesta, &c.* à R. P. IOANNE VINCARTIO, ejusdem Societatis compositum, ad sex annos proximos imprimere, & libere distrahere possit. Datum Tornaci 26. Ianuarij 1667.

LAVRENTIVS LVDOVICI.

APPROBATIO.

ELogia *hæc* Mariana, *in distinctis R. P.* VINCARTII *exhortationibus olim prægustata, & tandem Literis Alphabeticis ab eodem collecta, multis quoque Elogijs digna mihi videntur. Atque hoc inprimis quod ad honorem* MARIÆ, *& Marianorum Clientum vtilitatem imprimi mereantur. Datum Tornaci Vigil. Nativit. Dom. an.* 1666.

E. PLESSEREA Can. Torn. lib. Censor.

ELOGIA

ELOGIA MARIANA ALPHABETICIS LITERIS ORDINE DIGESTA.

PROLEGOMENON.



QVI de *Elogijs* & laudibus *Marianis* ſcripſerunt, quamquàm copiosè pioq; amoris affectu in Virginem id attentaverint, ingenuè fateri debent, inquit Aloyſius Novarinus, Virginem *Mariam* à nullo, niſi ab eo, nimirum Summo Opifice Deo, qui eam tantis privilegijs gratijſque ornavit, & tam laudabilem effecit, laudari poſſe. Hanc ſibi gloriam ſolus Deus vendicat, nec alteri eam dat, vt plenè Matrem laudare & *Elogio*, quod poſſit eſſe perfectiſſimum, exornare pro dignitate queat. Quippe cum nulla creatura infra Deum, Matris Dei dignitatem & excellentiam cognoſcit, & comprehendit: ſequitur nullum eſſe hominum nec Angelorum, qui eam, vt par eſt, laudare & prædicare

In Vmbra Virg. Excurſu 104.

possit. Vnde praeclaiè Richardus à S. Laurentio, Prologo l. de Laud. Virg. *laudem Deiparæ Virginis Mariæ ineffabilem esse*, affirmat.

Igitur nobis hîc agendum est, quo modo Theologi procedendum tradunt, in laudando Deo secundum Attributa, id est, per conceptus inadæquatos: qui velut radij quidam sunt, Summæ ejus Majestatis, quę *Lucem habitat inaccessibilem* & intellectui humano prorsus imperviam. Ita ergo de B. Virgine, cujus laus ineffabilis est, vt ante dixi, teste Richardo, nobis loquendum est multiplicatis *Elogijs*; nempe quia vno præconio magnitudo ejus & dignitas exhauriri non potest. Opportunum ergo duxi sparsim accersenda esse *Elogia* & prærogativas ejus, vt tanquam lumina quædam oculos feriant atque alliciant: si abyssum illam profundissimam maternitatis divinæ penetrare nequimus.

Cæterùm vt *Elogijs* nostris insistam, quæ modò aggredior daturus hoc Libro in lucem; æquum mihi & consentaneum visum est, à *Mariæ* nomine opus ordiri. Scio nomenclaturam hanc, & Alphabeti speciem ad Deum spectare, vt refert D. Ioannes Evangelista, Apoc. 1. dum ait: *Ego sum Alpha & Omega, principium &*

& finis, dicit Dominus Deus. Nihilominus & id *Mariæ* aliquatenus convenire videtur: constat enim Maternitatis ejus, superexcellentem dignitatem, à Deo & Christo mutuatam, vt docent Theologi, non alio divinæ gratiæ cursu, & quasi vehiculo, ad hominum vtilitatem, æternamque eorum salutem circumferri. Neque negare quispiam potest sæpe à Deipara Virgine, & vocationis initia, ejusdemque finem, id est, perseverantiæ ac perfectionis coronam dependere: quod Alphabeti apud Græcos, primâ & vltimâ literâ α & ω, adjunctis epigraphis exhibetur: *Incipit, perficit.* Porrò experientiâ quotidianâ constat, sacratissima hæc duo nomina IESVS & MARIA, quæ fidelibus omnibus, vitam inchoantibus, eandemque finientibus prima & vltima esse debent, felicitatis quoque certissima esse auguria. Ad propositum spectare possunt Horatij verba:

Huc omne principium, huc refer exitum. Lib, 3, Ode 6.

At Christianè magis & piè vir Nobilis, atque ex Primarijs Deiparæ Sodalibus, apprimè mihi notus, & carus cum ita canit:

Dulce MARIA *tuum, quàm dulce est nomen* IESV?
O mihi vel solo nomina amanda sono:

 Hæc

Hæc prima edocuit pendentem ex vbere Mater;
Vltima cum moriar dicere verba volo.

Quod vtinam non modò ad Sodales, ſed ad Chriſtianos quoſcumque diligenti imitatione tranſeat! Quamobrem Fidelibus omnibus, commendatiſſima eſſe debet, ſacrorum horum Nominum pia invocatio, vt feliciter vitæ præſentis initia captent, ac periodum claudant, ævo poſtmodum ad felicitatem reſervato, ſemperque duraturo reſtaurandam.

Sit ergo *Mariæ* nomen tanquam *Elogium* primum, inſtarque fundamenti: vtique reliquorum omnium, quæ hoc Libro exhibituri ſumus, fons quidam abundè ſcaturiens & origo.

MARIA.

Nomen Virginis MARIA. *Lucæ cap. 1.*

QVod aliàs D. Bernardus Claræ-Vallis Abbas, de Sacro IESV Nomine differens, ſcripſit, & clarè pronuntiavit: Nomen IESV, *Non eſſe magni Nominis vmbram, ſed veritatem*: idem dicere poſſumus de MARIÆ Nomine, quod gratiarum & myſteriorum Dei velut apothecam non immeritò appellaverim. *Ser. 1. de Circumc.*

D. Hieronymus nomen hoc MARIA ab Hebræo fonte ſpectatum, non parva myſteria & arcana complecti aſſerit ſub cortice, id eſt nomenclaturæ ipſius beneficio. Ait enim nomen hoc MARIA, & Stellam maris, & illuminatam, & illuminantem, & Dominam: imò & mare amarum, ſive amaritudinis ſignificare. Ex quibus naſcuntur *Elogia* Deiparæ Virginis, ſuis quæque locis & juxta *Alphabeti* literas exponenda. Itaque à nomine hoc Sacroſancto Tractatum hunc, vt ſupra monui, ordiri placet: æquumque ita eſſe, imò & neceſſarium ex dignitate nominis, nullus omnino eſt qui non judicet. Vtinam ergo mihi quamvis longè indigniſſimo, MARIÆ tamen beneficijs pridem obærato dicere liceat cum D. Bernardino Senenſi: *Da mihi, ô Virgo, virtutem, ingenium, ſermonem vt fidelibus & devotis tuis valeam nuntiare gloriam nominis tui: non quantum eſt, ſed vt tantillum ego parvulus tuus, de laudibus tuis immenſis enuntiem ad gloriam tuam, devotionem meam & ſolamen omnium legentium.* *Vide Caniſ. lib. 1. cap. 1. de B. Virg. Poza in Elucid.* *Tom. 3. Serm. 1.*

Porrò diſcurſum hunc in paragraphos dividere placuit: quod, vt iſto ordine, major facilitas legentibus, claritaſque dictorum accedat; in reliquis ſervare conſtitui.

§. 1. *Quod nomen* MARIÆ *ſit ſanctiſſimum.*

§. 2. *Quod ſit ſuaviſſimum.*

§. 3. *Quod efficaciſſimum, & quid ad illius Nominis honorem facere nos oporteat.*

Quod ædificiorum frontibus, aut prædiorum propylæis inſignia affigi ſolent; quò limites, cujuſcumque dominij ac juriſdictionis pateant: hoc ipſum ferè eſt in perſonis, præſertim excellentibus, Nominum impoſi-
Ser. 159. tio. Ita ſenſit olim Divus Chryſologus: *Sicuti*, inquit, *in prædiorum limitibus affixi tituli Dominum præloquuntur: ita nomina Sanctorum merita indicant, loquuntur inſignia.* Quod vt teſtatum faciat, advertit in nomine Abrahami Patriarchæ: qui ex Abram, id eſt Pater excelſus, dictus fuit Abraham, id eſt, Pater multarum gentium, ſcilicet vt inquit idem Author, *Dilatandus Abraham genere, etiam nomine dilataretur.* Quod ſi hoc Abrahamo Patriarchæ contigit, ita ordinante cœlo, quantò magis in B. Virgine ſpectare liceat, cujus nomen omnium gentium linguis prædicandum erat: juxta id quod habet in Cantico ſuo: *Beatam me dicent omnes generationes.* Quare ſi vllum aliud venuſtum, præclarum & gratioſum nomen vlli contigit mortalium, quod ſcribi, legi, decantari, pingi, ſculpive meretur, id MARIÆ Nomen videri poteſt: dignum ſanè quod in omnium oculos, aures & mentes incurrat; magnaque cum reverentia & privatim & publicè nominetur. Nam & cum ipſo Evangelium natum eſt, ſi veram MARIAM ſpectemus; nec abolebitur vnquam, quamdiu vox Evan-

gelica

gelica in mundo ſonabit: ſed vbique gentium & ab omni credentium ordine clam, palam celebrabitur: quod vt pios mirificè recreat & oblectat; ſic etiam impijs profuit ſæpe, quodq́ue nec ab alio, quam ab Angelo in terras demiſſo ſanctis parentibus, primò denuntiatum eſt: quod demum inter alios omnes, quorum nomina in libro vitæ ſcribuntur, & excellentius & venerabilius judicatur, ſicuti doctus Idiota annotavit. Sed ad Paragraphos veniamus. Cap. 5. in Contempl. de B. Virg.

§. 1. *Quod Nomen* MARIÆ *ſit ſanctiſſimum.*

EX Philoſophorum ſcitis, ipſaq́ue experientiâ hoc habemus; quod quidquid principio ac proximus adhæret: eò magis de ipſius natura & qualitate participare. Hinc fit vt rivus à fontis ſcaturigine proximè effluens purior ſit ac lympidior: & quantò elementa ad totius creati luminis fontem accedunt: tantò ampliùs puriora comperimus. Eam ob cauſam aquâ purior eſt aër, ipſoq́ue aêre defœcatius ignis elementum. Quis igitur negare audeat ſanctitatem MARIÆ nomini ineſſe, quod nobis à Divinitate quodammodo effluxit, & nomini IESV totius Sanctitatis fonti viciniſſimum eſt? Ait enim D. Petrus Damianus MARIÆ *nomen de theſauro Divinitatis evolutum fuiſſe.* Sanctuſq́ue Idiota ſacratiſſimam Virginem *Mariam* alloquens ita ſcribit: *Vocabitur tibi nomen novum, ô Beatiſſima Virgo, quod os Domini per Angelum nominavit. Dedit tibi tota Sacro-Sancta Trinitatis nomen, quod poſt nomen ſuperbenedicti Filij tui, eſt ſuper omne nomen.* Et verò quàm conjunctum fuerit MARIÆ nomen Nomini IESV, præterquàm quod ſæpius in Evangelijs appareat, refert S. Ignatius Martyr

Serm. de Annunt.

Lib. de Cõtemp. Virg.

Martyr Antiochenus Episcopus primos fideles dum B. Virginem compellarent, MARIAM IESV appellare solitos: ita enim scribit: *Sunt hîc multæ de mulieribus nostris,* MARIAM IESV *videre cupientes.*

Epist. 5.

Audiendus certè quàm præclarè, de hujus nominis Sanctitate locutus fuerit D. Petrus Chrysologus: *Nomen hoc Prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei Sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc denique Collegium sanctitatis.*

Ser. 146.

Mysterio non vacat quod Angelus Gabriel Virginem salutans MARIÆ nomen prætermiserit: non enim dixit: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Sed dixit: *Ave gratia plena,* nulla istius nominis Sacrosancti mentione facta: vt scilicet ejus excellentiam & sanctitatem ostenderet, se indignum reputans, qui hoc nomen tam Sanctum proferret: protulit tamen cum adeò humilem Virginem vidit, vt se illa salutatione putaret indignam; quam vt turbatam conspexit, occasionem sumpsit efferendi nominis MARIÆ, vt ejus prolatione animum Virginis erigere posset. Hoc suggerit Simon de Cassia ad illud Lucæ: *Ne timeas* MARIA. vbi sic fatur. *In declaratione nomen Virginis exprimitur, quod in prima salutatione tacebatur. Nam priusquam Angelus experiretur, quid humilitatis esset in Virgine, cum ad Theotoconium nosceret affuturam ex eo quod ab omnipotenti Deo in legationem acceperat, velut ante dignam, ipse indignior nominare ipsam veritus est: nunc verò ipsam considerans verborum novitate timentem, ipsam iterum allocutus est dicens: ne timeas* MARIA.

Vide Nova. in vmbra Virg.

Lib. 2. de B. Virg. c. 4.

Addo ita sanctum MARIÆ nomen esse, vt sanctitas illi annexa atque inseparabilis videatur: quod diligenter

ab

ab omnibus mulieribus notandum eſt, quæ nomen MARIÆ aſſumunt & portant; vt diſcant ſanctitatem ſimul cum nomine aſſumere, & ſi quæ ſcelera habeant abſtergere, ne indignæ prorſus tanto nomine habeantur. Vnde Aloyſius Novarinus advertit quod S. Lucas narrans de Magdalena, quæ peccatis infecta ad convivium perrexerat, quod mulierem non Mariam vocat: *Et ecce*, inquit, *mulier quæ erat in civitate peccatrix*: abſtinuit à Mariæ appellatione, ne tam ſanctum nomen peccatricis nomine inquinaret & ejus ſanctitatem peccatorum memoria devenuſtaret. At hic idem Evangeliſta cap. ſequenti, de eadem muliere loquens, non ampliùs mulierem dicit, ſed MARIÆ nomen adjecit: nimirum quia peccatrix ampliùs non erat, ſed pura & innocens Chriſti gratia evaſerat. Sic enim loquitur: *Duodecim cum illo* (Chriſto) *& mulieres aliquæ quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem Dæmonia exierant & Ioanna vxor Chuſæ Procuratoris Herodis: & Suſanna, & aliæ multæ quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. Fulcit hanc Novarini mentem Richardus à S. Laurentio, atque illi ſubſignat: *Nomini*, inquit, MARIÆ *ſanctitas inſeparabiliter eſt adjuncta; nã cum agit B. Lucas de pœnitentia Magdalenæ, propter hujus nominis reverentiam, non auſus fuit Mariam, ſed mulierẽ nominare: ſed paulò poſt cum dicit eam juſtificatam à Domino, Mariam appellat.* Quin etiam tam ſanctum ac cæleſte Mariæ nomen, vt non admittat in muliere, non tantùm quod peccatum eſt; ſed quod etiam naturam ac ſenſum muliebrem ſapiat. Hinc eſt quod Magdalenam cum Chriſtus reperiſſet plorantem ad monumentum, de ejus reſurrectione parum rectè ſentientem, & naturæ & lacrymis plus nimio indulgentem,

Cap. 7.

Cap. 8.

Lib. 1. de Laud. Virg. cap. 1.

Ioan. 20. tem, mulierem appellat, dicens: *Mulier, quid ploras?* cur quæſo ſuo nomine non vocatur? cur Maria non dicitur? Reſpondet D. Ambroſius: *Quando non credit mulier eſt: quando converti incipit, Maria vocatur: hoc eſt nomen ejus, accipit, quæ parturit Chriſtum.* Nimirum inſigniri tanto nomine non merebatur cum ploraret & mulieris obiret munus: cum credere cœpit & bene de reſurrectione Chriſti ſentire, tunc Mariæ nomine indigetatur. Ex quo colligitur hoc Mariæ nomen non niſi eſſe hoſpitium & *Collegium Sanctitatis*, vt ante monui ex D. Chryſologo.

Lib. 3. de Virg.

§. 2. *Nomen* MARIÆ *nomen eſt ſuaviſſimum.*

A Præcedenti §, bene ſtabilitur hæc veritas: Quod enim ſanctum eſt ac cæleſte benedictione non caret; adeoque ſeparari nequit ab eo dulcedo & ſuavitas. Amantium nomina ſemper ſuavitatis plena ſunt: & ea præſertim quæ à floribus mutuantur, qualia ſunt nomina Hyacinthi, Narciſſi, Amaranthi, Roſaliæ, de quo dici poteſt illud Martialis:

Lib. 9.

Nomen cum violis, roſiſque natum.

Mœrorem ex animis depellunt hæc nomina, etiam abſentium ac mortuorum, quos verus amor amicitiæ nexu copulavit. Sic David Ionathæ vocabulo, imò & Saülis, quos infelix cum Philiſtæis inita pagna obruerat, leniebat acerbitatem doloris, teſte D. Chryſoſtomo: *Quorum*, inquit, *præſentia corpora non licebat amplecti, nomina illorum conjuncta complexus eſt, dicens: Saül & Ionathas amabiles & decori in vita ſua: ſuum dolorem hiſce modis quatenus poterat leniens & calamitatis magnitudinem mitigans.* Quàm juſtiùs hoc dixeris de IESV & MA-

Hom. de Davide & Saüle.

& MARIA, quorum nomina ſuavitate pleniſſima, amaritudinem omnem temperant ac triſtitiæ nebulam diſpellunt? De nomine IESV ita loquitur D. Bernardus: *Serm. 15. in Cant.* IESVS *mel in ore, in aure melos, in corde jubilus: triſtatur aliquis noſtrum, veniat in cor* IESVS, *& inde ſaliat in os; & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum.* Idem de nomine MARIÆ affirmat Richardus ſupra: *Sicut enim nomen* IESVS *mel in ore, & in aure melos, in corde jubilus: ſic & nomen* MARIA, *imò etiam ampliùs ſi dicere audeamus.*

Convenit pręterea nomini MARIÆ, id quod de Sponſo *Vide Novar. in vmbra Virg.* dicitur in Amoris Cantico: *Oleum,* ſive *vnguentum effuſum nomen tuum: ideò adoleſcentula dilexerunt te.* Vt enim IESV nomen, ita & MARIÆ vnguento comparatur, quod *Cant. 1.* ſuaviſſimo odore flagrat, & in amorem Virginis omnes allicit. De quo ſic ſcribit Richardus à S. Laurentio: *Audiamus quid de hujus excellentia nominis mox prophetico dixerit Salomon, quaſi loquens ad* MARIAM: *vnguentum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Rectè enim hoc nomen* MARIÆ *oleo & vnguento comparatur:* *Lib. 1. de Laud. Virg. cap. 2.* Siquidem ſuam in omnes ſuavitatem ſpargit, omnes oblectatione afficit, præſertim cum devotè pronuntiatûr. Sed advertendum ad hoc requiri, vt MARIAM quis diligat: idcirco ſtatim additur, *adoleſcentulæ dilexerunt te.* De eadem Virgine hunc quoque locum explicat D. Ambroſius: *Deſcendat*, inquit, *vnguentum iſtud in animæ præcordia, viſcerúmque ſecreta, quo Sancta* *De Inſtit. Virg. c. 13.* MARIA *non delitiarum, ſed gratiæ divinæ ſpiramenta redolebat.* Probatur Cæſarius exemplis hoc quo dico. *Lib. 7. cap. 50.* *Iuxta Eccleſiam*, inquit, *S. Severini Coloniæ incluſus quidam habitabat Marſilius nomine, in Tuſcia ad S. Sebaſtianum aliquando Epiſcopus. Hunc cum Matronæ Civi-*

 tatis

tatis frequentarent, & una ei confessa fuisset, quod Dominæ nostræ nomen dicere non posset, sine mira quadam dulcedine; de causa tantæ gratiæ requisita respondit: singulis diebus in honorem ejus quinquaginta Ave MARIA, *cum totidem venijs dicere consuevi: per quæ tantam dulcedinem merui, ut omnis oris mei saliva orationis tempore in mel videatur conversa. Quod cum audisset tam dictus Inclusus exempla devotæ fœminæ, vir per sex hebdomadas Angelicam Salutationem compleverat: & ecce tantam dulcedinem sentire cœpit in illius dulcissimæ salutationis prolatione in ore & gutture, ut mellis dulcedinem longè transcenderet ista dulcedo. Eamdem dulcedinem meruit percipere quidam Monachus, exemplo illius provocatus. Hæc mihi relata sunt ab eodem Incluso.*

Porrò parum esset hoc nomen MARIÆ suave haberi hominibus, nisi etiam Angeli, hujus nominis fragrantia allecti, illud audire ambirent in cælo. Idcirco frequenter interrogant illud quod habetur in Canticis: *Quæ*
Ibid. *est ista?* Cui petitioni respondet Richardus à S. Laurentio, vt scilicet in responsione resonet MARIÆ nomen. *Ter ad minùs in Canticis in persona Angelorum quæritur: quæ est ista? non tantùm quia personæ mirantur excellentiam, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem: sed forsitan quia dulce nomen desiderant sibi responderi. Sicut enim antiquis Patribus, Isaiæ & cæteris nomen Domini in desiderio erat, ut scilicet inter homines nominaretur Christus, ut qui notus erat in cælo, effunderetur in terra: sic Angeli nomen* MARIÆ *desiderabant in cælo & in notitiam effundi, ut non intra terræ terminos clauderetur, sed etiam celebre haberetur in cælis.* At quis dignè explicet quantâ lætitiâ Angeli, Beatique omnes perfundantur ob dulcissimum MARIÆ nomen?

Cælum

Cælum ipſum hoc nomen beat, & dulcedine perfundit. Et vt ſecum MARIA in cælum tulerit, tamen hoc nomen ſuum reliquit in terris in dolentium levamen ac ſolatium, juxta dictum Eckberti Abbatis, qui ad MARIAM ſic fatur: *Tu nec nominari quidem potes, quin recrees: Tu nunquam ſine dulcedine divinitus tibi inſita piæ memoriæ portas ingrederis.*

Cum autem de prolatione nominis MARRIÆ diſſero, illud annotari velim, dulciùs hoc ei nomen reſonare, qui ſanctior, meliorque fuerit. Simili enim modo argumentari licet de nomine MARIÆ, quod de nomine IESV; de quo Sanctus Bernardinus Senenſis ita ſcribit: *Servi Dei quantò magis ſunt in gratia, tantò majorem devotionem & dulciorem ſentiunt in nomine* IESV. Addo & aliud ſpeciali conſideratione dignum: nomen hoc MARIÆ etſi de alia, quàm de B. Dei genitrice dicatur; habere tamen neſcio quam in ipſa prolatione dulcedinem, & vim quandam attrahendi ſuaviter. Quod Origenes agnoſcit in Magdalena. Aderat dolenti Magdalenæ ad Sepulchrum Chriſtus: Sed agnitus non fuit ab ipſa in habitu Hortulani, cum diceret: *Mulier quid ploras?* Sed cum addidit Mariæ vocabulum, dicens: MARIA, ſtatim *converſa illa dicit ei Rabboni.* Idem ergo IESVS loquebatur antea, & hortulanus reputabatur: vbi Mariæ nomen profert, cognoſcitur vt magiſter. *O mutatio dexteræ excelſi!* inquit Origenes, *converſus eſt dolor in gaudium magnum; mutatæ ſunt lacrymæ doloris in lacrymas amoris. Vbi Maria audit Maria, præſenſit in nomine quamdam ſingularem vocationis dulcedinem, & per eam cognovit ipſum, à quo vocabatur eſſe magiſtrum.* Tantùm profuit dolenti, virginei nominis bajulæ, Mariæ nomine compellari. Sed Chriſtus illud

Tom. 4. Ser. 41.

protulit, enuntiavit Christus, qui vt nominis hujus dulcedinem ac suavitatem solus noverat: sic eam illud proferens, magis quàm vllus alius ostendebat. Conversa est Magdalena Mariæ nomen audiens, vt rectè signaretur multos, qui Christum non noverant, per Mariæ Virginis nomen cælesti luce perfundendos, qui & eum agnoscerent, & eum sequerentur. Vtinam & nos numerum augeamus, virgineique nominis suavitate allecti curramus post ipsam, & per ipsam ducamur ad Christum.

§. 3. *Quod nomen* MARIÆ *sit efficacissimum, & quid ad illius honorem facere nos oporteat.*

Eccli. 7. EFficaciam hujus nominis innuere videtur Salomon, cum ait: *Melius est nomen bonum, quàm pretiosa vnguenta. Tale est nomen Mariæ*, inquit Richardus à S. Laurentio. *Siquidem dolori peccatorum medetur meliùs, quàm vnguenta: peccator es? ad nomen Mariæ confugias: ipsum solum sufficit ad medendum. nulla enim pestis tam efficax, nulla sit hæret, quæ ad nomen Mariæ non cedat continuò.*

Lib. 1. de Laud. Virg. cap. 2.

Quid obsecrò ad salutem nostram opportunum & efficax cogitare possit, quod in nomine Mariæ non reperias? propugnaculum, scutum, protectionem? hæc omnia nobis efficaciter præstat Mariæ sacrosanctum nomen. Scio nomen Domini propugnaculum esse mortalibus dicente Salomone: *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus, & exaltabitur.* Quod Domino Salomon, hoc ipsum Mariæ attribuit Richardus à S. Laurentio in hæc verba: *Recordare quod turris fortissima sit nomen Dominæ nostræ: ad ipsam confugiet peccator*

Prov. 18.

Lib. 2. de Laud. Virg. cap. 2.

peccator in tentatione, & etiam qui peccavit & salvabitur.

Quid ſecundò ad ſalutem exigis? velocitatem & promptitudinem auxilij opportuni? habes & illam in nomine MARIÆ: de quo ſic [a] Anſelmus: *Velocior eſt quandoque ſalus memorato nomine* MARIÆ, *quàm invocato nomine Domini* IESV. Cujus dicti ex eodem Anſelmo hæc adfertur ratio: non quod Sanctiſſimum nomen IESV inferius ſit, cum omni ex parte ſuperet dignitate, honore atque virtute Deiparæ invocationem. Sed quod Deus celerius, & libentiùs per MARIÆ nomen exerceat clementiam, quàm ſi IESVS tantùm invocaretur. Eo quod cum invocatur IESVS, non Pater ſolùm imploratur, verùm & Iudex, qui ſartam tectam Iuſtitiam tueri debeat: propterea non ſubitò condonanda injuria eſt, vel exhibenda gratia; ſed maturo conſilio differenda. Verùm vbi Mariæ nomen prætexitur, objicitur Chriſti oculis, mater & nutrix, ejus ſolùm merita exponuntur in tutelam: atque adeò ardenti & feſtina charitate advolat, quod nihil tunc Iuſtitiam remoretur. Ad promptitudinem auxilij mariani facit quod invocatio nominis Mariæ efficaciam habeat operandi ex opere operato, vt loquuntur Theologi: hoc eſt habere efficaciam ex inſtitutione divina vel Eccleſiaſtica, quamtumvis miniſter vel bonus, vel malus ſit: ex opere autem operantis, efficacia mutuatur à bonitate & pietate agentis. Prolatio itaque nominis Mariæ, vt cenſet Poza operatur ex opere operato, vti Sacramentalia, exorciſmi, panis ſive aqua benedicta, oleum & cætera ejuſcemodi: imò vt ſignum crucis, quod vim habet contra dæmones à quocumque formetur ſive fideli, ſive infideli: vnde D. Chryſoſtomus ſcribit: *Sunt nobis*

Vide Poza lib. 17. c. 4.

a *Lib. de Excell. Virg. cap. 6.*

Poza lib. 17. cap. 5.

Hom. 8. in cap. 4. ad Rom. *nobis incantationes spirituales ipsum nomen Mariæ.* Idem censet D. Bonaventura in speculo verbis vtens S. Bernardi: sic enim habet. *Non ita metuunt hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam; sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium & exemplum. Cedunt & pereunt sicut cera à face ignis, vbicumque invenerint crebram recordationem, devotam invocationem Mariæ, solicitam imitationem.*

Tertiò vt diffugiunt dæmones ad nomen Mariæ, ita Angeli advolant, vt nobis suppetias ferant: de quo habemus ipsiusmet Deiparæ testimonium ad S. Brigittam. *Audi*, inquit, *quantùm Filius meus nomen meum honoravit. Angeli boni audito hoc nomine justis magis propinquant & de eorum lætantur profectu, quibus sunt ad custodiam deputati.*

Quartò maximè nobis pro summâ tutelâ est nomen Mariæ in articulo mortis: potens est enim in supremo illo agone, ab ipsis mortis atque inferni faucibus nos eripere. Ita de illo canit D. Bonaventura in Psalterio Virginem ipsam alloquens: *Gloriosum & admirabile nomen tuum: qui illud retinent non expavescent in articulo mortis.* Part. 12. de Corona Mariæ. Quidni enim huc referam quod narrat Bernardinus de Bustis Ordinis Seraphici? *Legimus*, inquit, *quod quædam devota juvencula aviculam quandam dicere docuit, Ave Maria ita quod garriendo aliud non proferebat: quadam autem die volucris rapax, ipsam arripuit & asportavit. Quæ cum clamaret Ave Maria, statim illic avis rapax mortua cecidit, & avicula ad gremium puellæ est reversa.* Quid nos ergo sperare non possimus, Sanctum Mariæ nomen pleno affectu efferentes, cum avis ratione carens salutem nuda hujus nominis prolatione consecuta sit & vitam?

Quintò

Quintò denique per nomen Mariæ, non modò à gehenna & morte liberamur: verùm etiam intramus in cælum. Siquidem S. Eprhem januas cœli per invocationem nominis Mariæ reſerari affirmat: aſſerens *nomen hoc Portarum Paradiſi reſeramentum eſſe.* Ergo qui cœlum petere contendit & Paradiſum introire, nomen illud devotè efferat, Mariam ſæpe invocet. Illius nominis pia prolatio dum hîc ſumus ad gratiam nos ducit: poſt hujus vitæ terminum ad gloriam. Idem teſtatur Richardus à S. Laurent. *Devota*, inquit, *invocatio & recordatio nominis Mariæ ducit ad virorem gratiæ in præſenti & ad virorem cæleſtium in futuro.*

De Laud. Virg.

Lib. 2. de Laud Virg. cap. 2.

Atque hinc probatum ſatis apparet Mariæ nomen ſanctiſſimum eſſe, ſuaviſſimum, atque efficaciſſimum ad morbos pellendos & ſalutem animæ conſequendam. Nunc verò quo cultu & honore tam auguſtum nomen venerari nos decet, paucis videndum & in quo præſertim Sanctorum ſequenda veſtigia.

Annales Eccleſiaſtici produnt moris olim fuiſſe priſcis fidelibus, ad Mariani nominis prolationem caput inclinare & genua flectere. Meminit hujus devotionis Petrus Damianus: *Exultate*, inquit, *Fratres quia de Domina illa ſermo ſuccedit, quæ ſingularem in cordibus noſtris ſibi vendicat principatum: Hæc eſt ad cujus nomen corpus humiliter inclinatis, cujus horis reverenter aſſiſtitis, cujus memoriam jugiter frequentatis.* Et verò cur audito ejus nomine caput non inclinemus, cum Rex cæleſtis ad eam humiliatus deſcenderit? Mariæ ſe humiliat, qui omnium Dominus eſt, & non ſe humiliet qui indignus viliſque ſervus eſt? Hoc premit Richardus à S. Laurent. ad illa verba Iſaiæ: *Vultu ad terram demiſſo adorabunt te*: Eaque Virgini accommodans ait: *Vultu in*

Ser. 11. de Annunt.

Lib. 2. de Laud Virg. cap 4.

Iſa. 49.

in terram demisso adorabunt te: siquidem ex quo ad eam inclinati sunt cœli & Rex cælestis ad eam descendit humiliatus quod innuebat Angelus, dicens: Dominus tecum: bene debemus visa ejus imagine, vel audito nomine inclinari ad eam. Porrò hæc corporis inclinatio, non demisso tantum capite, quod nunc in vsu, olim fiebat, sed etiam genu terræ affixo. Tanta enim reverentia erga hoc nomen afficiebantur fideles, vt eo audito genua flecterent. Meminit hujus moris Petrus Blesensis in hæc verba: *Nec frustra consuevit Ecclesia intercessionem B. Virginis affectuosiùs cæteris implorare: ita quod audito ejus nomine genua terræ affigat.* Quid quod Christus hoc nobis exemplo præivisse existimatur? Nam ante Matrem suam MARIAM non semel se inclinasse & genu flexisse ob reverentiam, inter alios censet ante frequenter memoratus Richardus, dum ait: *Multoties vt creditur genu flexit Filius coram Matre.*

Serm. 28. in Assumpt.

Lib. 4. de Laud. Virg.

Alius nomen MARIÆ venerandi modus vsurpatus à pijs ejus Cultoribus, fuit ille B. Iossionis apud Audomarenses in S. Bertino Ascetæ Benedictini, qui ad honorem quinque litterarum, quibus MARIÆ nomen componitur, quinque Psalmos recitare consueverat, qui litteris initialibus MARIÆ nomen componerent: sunt autem hi: *Magnificat, Ad Dominum cum tribularer, Retribuere, In convertendo, Ad te levavi.* Post cujus mortem, non paucorum annorum intervallo aperto ejus sepulchro, ex oculis, auribus & ore, quinque rosæ emicuêre, quibus aureis literis MARRIÆ nomen inscriptum erat.

Annales Bertin. Locrius.

Tertia praxis honorandi Sacrosanctum hoc nomen, eruitur à monito Salomonico in Canticis; vbi sic Sponsus ad Sponsam animam fidelem sermonem dirigit: *Pone*

Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Quid vetat vt & de MARIÆ nomine hoc dicamus? Scribe ergo hoc Sacrosanctum nomen IESV & MARIÆ in tabulis cordis tui. Constat de S. Ignatio Martyre Antiochiensium Episcopo, in cujus corde cum à Leonibus esset semidevoratus, compertum fuit hoc Sanctissimum nomen IESV aureis litteris scriptum. Idem accidit de nomine MARIÆ, quod à morte inscriptum apparuit in corde B. Petri Thomasij Patriarchæ Constantinopolitani, Ordin. Carmelitarum.

Cap. 8. Salmeron Tom. 3. Tract. 37. Bollandus in actis SS. 29. Ian.

Sed velim vt à corde etiam ad brachiũ, id est, ad opera tam Sanctò nomine digna transeat, quia vt ait Cassiodorus: *Grata sunt omnino nomina, quæ designant protinus actiones quando tota ambiguitas audienti tollitur, vbi in vocabulo concluditur quod geratur.* Habent IESV & MARIÆ nomina, actiones quas significant, etiam præstant: nec vacuum aut inanem sonum dumtaxat exhibent; sed rem. Igitur & qui profert hæc nomina, sanctis actionibus & puritatem redolentibus operibus illis respondeat: alioquin vt concludit Novarinus, *Nudum Sanctitatis nomen præferens, proferre hæc Sancta nomina non meretur.*

Lib. 6. Var. 7.

Quartò, denique sunt qui publicè ad religionem Sacrum hoc MARIÆ nomen aut auro, argentóve celatum medallijs circumferunt, galero affixum, aut adspectus. Quod fuit in Belgio Illustrissimæ Croiacæ familiæ primum inventum. Philippus enim Croyus Arschoti Dux, vt Gheusiorum factioni se opponeret affixo ad galeri limbum Deiparæ numismate aureo, MARIANI nominis cultum ac reverentiam palam professus est. Inde sacrorum toto orbe numismatum origo profecta, in-

 quit,

De Bello Belg. l. 5. quit, Famianus Strada. Quidni Poëtam super hoc facto audiamus?

De cultu Deip. lib. 3. n. 17. 6.

Gheusia Belgiacas urbes turbarat Enyo;
Stridebant sævis omnia plena minis.
Error habet, cæcos agitat væsania cives:
Præcipites ferro, quà rapit ira, ruunt.
Quà sertum decuit dextrâ, funalia gestant,
Commiscent cineres sacra, profana suos.
Infremuit sceleri gens Croya; cedimus? inquit:
An contra hæc nostros pugna reducit avos?
Est aliquid pietas claris natalibus orta:
Hæc titulum veræ nobilitatis habet.
Dixit, & accinctum vultu conversus in ensem:
Vterer hoc, inquit: sed nova bella placent.
Hostis pro roseis (Divæ sunt serta) corollis
Tradidit infami signa ferenda scypho.
Stat Croyo delere notam: Divæque galero
Affigit nomen: cassidis instar erat.
Illâ noscentur fidi, noscentur & hostes:
Qui bonus, exemplo sit bonus ille meo.
Dicta movent animos: crescunt imitamina facti;
Et modò quod cœpit Croyus, orbis habet.

Siquidem vbique terrarum B. Virgo in imaginibus suis, suoque nomine triumphat. Celebris est hujus nominis MARIANI Confraternitas Madriti in Hispania: item Bruxellæ in Belgio, vbi quotannis à tota Nobilitate fit processio solemnis festivissimo apparatu, in qua MARIÆ nomen gemmis lapidibusque pretiosis irradians, carpento triumphali circumducitur per præcipuas vrbis plateas. Crescat applausus ille, vsque dum cum Angelis beatisque omnibus producere illum possimus, in perpetuas æternitates.

ELOGIA

ELOGIA MARIANA

ORDINE ALPHABETICO DIGESTA.

LITERA A

A


Abyſſus Gratiæ.

Abyſſus abyſſum invocat. Pſal. 41.

PSALMISTÆ Regij Davidis verba hæc ſunt, quæ diverſimodè à SS. Patribus exponuntur. Sanctus Gregorius peccatori hæc adſcribit, qui ad ima vitiorum prolapſus, obſtinato etiam ad malum animo, Abyſſum Divinæ Iuſtitiæ in ſe provocat, vrgetque ad ſeveræ vltionis exigendas pœnas. D. Auguſtinus per Abyſſum, fidem viatoris intelligit, aſpirantis ad claram Dei viſionem, quâ perfruuntur Beati omnes in cœlo. Accedit propiùs ad Scopum noſtrum D. Bonaventura, qui per Abyſſum B. Virginem nobis exhiberi affirmat, pio in peccatores affectu, ijſdem apud filium miſericordiæ Abyſſum, veniam peccatorum poſtulantem. Huic opinioni favet D. Damaſcenus, apud quem expreſsè invenitur hoc Elogium: *Abyſſus gratiæ*: à quo Tractatum hunc Alphabeticum, ſive ELOGIA MARIANA incipimus. Quid enim congruentiùs poſt MARIÆ nomen, quàm

In Spec. cap. 5.

Ser de Dormit. Virg.



quàm à gratia initiùm dicendi capere ; quâ Beata Virgo & ſibi plena, & nobis ſuperplena extitit, teſte D. Bernardo, prout ſuo loco demonſtrabimus: Et quidem tribus Paragraphis, vt quo cæpi ordine, totum hoc Elogiorum Alphabetum proſequar, quò majori legentium facilitati, & ad intelligendum claritati ſerviatur.

§. 1. *Quàm rectè B. Virgo dicatur à S. Damaſceno,* Abyſſus gratiæ.

§. 2. *Quo fundamento nitatur hæc Abyſſalis gratia in B. Virgine.*

§. 3. *Quo modo, atque vtiliter ad hanc* Gratiæ Abyſſum, *accedendum eſt.*

Ex Ariſtotelis Schola diſcimus duplici modo ſive via ad rei alicujus cognitionem procedi poſſe: à quæſtione videlicet quid nominis: tum deindè, quid rei. Prima quæſtio indagandum ſuggerit, quid nominis *Abyſſus*: hujus vocabuli etymon derivant Græci ab α privativo, & βύσσος, quod fundum ſignificat: adeoque Abyſſus vt à nomine ad rem ipſam veniamus, nihil aliud eſt, quàm quidpiam fundo carens. Ita Abyſſus in Scriptura dicitur ſpatium illud ingens, quod cœlum ſive firmamen-
Gen. 1. tum inter & terrã projacuit in prima rerum molitione: *Tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi.* Locus item gehennæ
Cap. 8. infernalis & ſubterraneus apud Lucam, ad quem legio Dæmonum in corpore energumeni mitti reformidabat, magis eligens gregem porcorum, Abyſſi nomine indigetatur: *Ne in Abyſſum irent*, inquit S. Lucas Evangeliſta. Metaphoricè etiam vocamus Abyſſum quidquid humano intellectui impervium eſt atque inſcrutabile:

bile: qualia ſunt Divina Iudicia atque decreta, Davide atteſtante: *Iudicia tua, Domine, Abyſſus multa.* *Pſal. 35.*

§. 1. *Quàm rectè B. Virgo dicatur à S. Ioanne Damaſceno*, Abyſſus gratiæ.

QVoties de prærogativis MARIÆ, ejuſque excellentijs & gratijs à Deo liberaliſſimè collatis agimus; oceanum veluti ingredimur. Nullus eſt enim inter mortales vel ſubtiliſſimus Theologus, vel Orator eloquentiæ diſciplina & arte præcellens, qui de tam admirabili Virgine diſputationem inſtituat, quamtumis longè lateqne in laudes ejus progreſſus videatur, quin immenſa ſibi adhuc ſpatia emetienda conſtet, cogaturque dicere cum Poëta,

Quocumque aſpicio, nihil eſt niſi pontus & æther.

Cæterùm attendamus hîc primò quàm rectè B. Virgo MARIA dicta ſit à D. Damaſceno Abyſſus gratiæ. Videtur ad rem noſtram proximè accedere D. Bernardus, dum ait: *Non timeo dicere, quod omnium gratiarum effluxus quamdam juriſdictionem habuerit hæc Virgo; de cujus utero, quaſi de quodam divinitatis oceano rivi & flumina emanabant omnium gratiarum.* Vt vt ſit Abyſſum propriè efficit immenſitas & infinitudo quædam gratiarum, in MARIA. Hanc agnovit D. Gregorius Thaumaturgus Neocæſarienſis Epiſcopus, qui profitetur totius gratiæ theſaurum reconditum fuiſſe in MARIA, dum ſcribit: *Convenienter Archangelus Sanctæ* MARIÆ *Virgini pronuntians illud Ave gratia plena, Dominus tecum, præſignificat quod cum ipſa totius gratiæ theſaurus reconditus erat.* Habemus & Sanctos Anſelmum & Bonaventuram pro immenſitate gratiarum in Virgine; *Serm. 61.* *Ser. de Annunt. Virg.*

Virgine; vnde Abyssus gratiæ rectè dici possit: Et quidem Anselmi hæc sunt verba: *Quid amplius dicere possum, ô Domina mea? immensitatem quippe gratiæ & gloriæ & felicitatis tuæ considerare cupienti, sensus deficit, lingua fatiscit.* Verùm S. Bonaventura explicatiùs & apertiùs loquitur: *Gratiæ* MARIÆ, *gratia verissima, gratia immensissima: immensa fuit gratia, quia Virgo erat plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit istud quo est plenum.* MARIA *autem vas immensissimum fuit, ex quo illum qui cœlo major est, continere potuit. Tu immensissima* MARIA *capacior & cœlis, quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti. Tu capacior & mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera, factus homo. Si ergo* MARIA *tam capax fuit ventre, quantò magis mente? & si capacitas tam immensa fuit gratiæ plena; oportuit itaque, quod gratia illa, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.*

In Spec. cap. 5.

Ad hoc vt Abyssus gratiæ rectè dicatur MARIA, diligenter attendendum est, miserationes ejus neutiquā exhauriri posse. Scimus cum Theologis omnia in Deo infinita esse & immensa quoad entitatem attinet: effectus tamen misericordiæ, quos miserationes Dei appellant Theologi & Sancti Patres, definitos ac mensuratos esse respectu hominum, quibus plus vel minùs gratiarum destinatur: juxta illud Amos Prophetæ: *Super tribus sceleribus Damasci & super quatuor non convertam eum*: itemque illud Christi apud Matthæum: *Implete menusuram patrum vestrorum*: quasi dicat; sic exhaustis miserationibus Dei, & gratijs, quas vobis dare constituerat ad mensuram, irruet in vos divinæ Iustitiæ rigor, & promeritæ vindictæ executio. At MARIÆ nulla

Cap. 1. Cap. 23.

la gratiarum reſtrictio: haurit illa de Theſauro miſericordiarum Dei quantum vult: nulla ei ad ferendum mortalibus auxilium determinata menſura. Imò ſpatium hujus vitæ, quæ ad merendum ſtatutus eſt terminus, illius miſerendi & ſuccurrendi affectum nullo modo coercet. Inſtar omnium ſit, quæ à S. Petro Damiano in Epiſtolis ſcripta narratio reperitur, quam ejuſdem verbis reddere hîc placet. *Baſſus, inquit, quidam Burgundio genere Amicienſis Epiſcopatus, Eccleſiam B. Dei genitricis ſemperqúe Virginis inſigni titulo decoratam, quæ vocatur in Podio, orationis cauſa devotus adijt: ei peractis orationibus ac devotione completa, redire cœpit ad propria. Cúmque veniſſet ad pagum quendam in quo cella cujuſdam Monaſterij, cujus me vocabulum fugit, à religioſis Fratribus incolebatur, languore correptus cecidit, ægrotavit, & obijt: dein cum jam lotum, atque ex more linteis involutum in medio jaceret cadaver examine, ac pia fidelium juxta feretrum cuſtodia penoctaret: intempeſto jam ferè noctis emenſo, & gallicinio propinquante, qui mortuus jacebat, repente proſilijt, & ſic omnem vndique circumſtantes admirationis ſtupor, & intolerabilis horror invaſit. Tunc ille magni clamoris animadverſione vociferans tremens ac horribiliter expaveſcens, rogare cœpit adſtantes, vt pſalmodiæ pijſque votis valenter inſiſterent: quatenus tetros nequitiæ ſpiritus, qui per angulos ac parietes domus vndique videbantur, Sanctis orationibus effugarent. Cumqúe fuſis ad Deum precibus, more fumi vento perflati Dæmones evanuiſſent, timore depoſito, & ſecuritatis animatus audaciâ, quæ ſibi in occulto contigit, publicè coram omnibus enarravit. Egredienti mihi, inquit de corpore duo protinus Angeli ſplendidæ claritatis occurrunt, qui me ſecum ducere in ſuperiora cœperunt: ſed ecce*

Lib. 2. Epiſt. 14.

me nigrantes Dæmonum turmæ, velut phalanges Æthiopum vndique circumfundunt: méque tanquam sui juris hominem acri nimis & importuna vehementer exactione reposcunt: noster, inquiunt, hic homo est, sub nostris ditionibus vixit, nostris obtemperare legibus non omisit. Semper enim illi lex carnis inviguit: legem verò spiritus funditus ignoravit. At contra Beati Angeli responderunt. Non, inquiunt, diffitemur fuisse vestrum dum viveret: Non enim licet resistere veritati: sed quia nunc in obsequio Reginæ cælestis, Dominæ nostræ defunctus est; nequaquam impietati vestræ pro vitæ suæ reatibus subjacebit, qui vitam suam pio fine conclusit: nec ad æterni Iudicis poterit perire conspectum, qui Genitricis suæ providit auxilium. Ad hæc illi, cum Deus, aiunt, procul dubio Iustus sit Iudex, nunquam quod nostrum est auferet, nec adversum nos præjudicialiter aget; cum injustitiam prorsus ignoret. Cumq́ue vim Angelis inferre tentarent, Angeli verò leniùs ac remissiùs non cognita veritate resisterent: affuturum tamen sibi continuò profitentur auxilium, & Dei genitricis celerem comminantur occursum. Sed cum hinc isti modesta circùm me tuitione contenderent; illi è diverso ad reposcendum sui juris hominem furiosiùs ac turbulentiùs ebullirent: ecce velut igneum fulgur repentinus radiantis corusci splendor illuxit, cunctísque mirantibus cælorum Regina Angelicis vallata reveranter obsequijs, Dei Mater advenit. Tunc reprobi licet ad primum tantæ gloriæ tenerentur adventum, eorúmque nimius splendor reverberaret obtutum; tamen illatam sibi conqueruntur injuriam, & Angelicæ violentiæ protestarentur ex propria possessione rapinam, dicentes: quia si Deus est Iustus, nunquam de manibus nostris auferet impium. Quibus è diverso B. Virgo respondit: licet hic homo vt asseritis,

seritis, vestra per pravitatem operis possessio fuerit, & impiè sive carnaliter vixerit: nunquam tamen piissimus & clementissimus filius meus patietur eum fieri vestris crudelitatibus subditum, quem sub mei famulatus obsequio, cernit in peregrinatione mea defunctum. Præsertim cum iste confessus peccata sua Sacerdotibus fuerit, judiciumqúe pœnitendo ac ingemiscendo perceperit; quamquam subita morte defunctus implere nequiverit. Ad hæc illi quasi nata occasione victoriæ tripudiantes, & velut insultantes objiciunt. Cum sis, inquiunt, Mater veritatis & æternæ justitiæ, non ignorare potes, quoniam hoc tam immane, tamqúe cruentum facinus perpetravit, quod nulli tamen unquam per vocem confessionis innotuit? quoddam scilicet grave scelus à me commissum nomine tenus inclamabant. Quod peccatum cum B. Virgo, licet ab auctoribus mendacij veraciter recognovisset modestè paulisper obticuit, & quodammodò veritati reverentiam præbuit. At reparato rursus eloquio: verum, inquit est quod objicitis; sed quoniam apud misericordem Dominum meum ac Filium misericordia superexaltat ex more judicium, eúmque non tam delectat pœna peccantium, quàm remissio peccatorum, me confestim intuens, ait: ad corpus præstò regredere. Scelus hoc quod ab iniquis tibi jure objectum est, Sacerdoti coram vicinæ hujus cellæ monachis confitere; eosqúe ex meæ auctoritatis jussione deposce, ut pœnitentiæ modum qui tibi injunctum fuerit, sibi suscipiant, & implere pro tua mox obeuntis absolutione ipsi contendant: quo peracto ad me protinus sine dilatione revertere. Hîc enim ego non desino te, donec redeas, exspectare. Cumqúe per ordinem hæc ille narrasset, & pœnitentiam sibi indictam Sancti Fratres cum pro charitate illius, tum pro Deificæ Virginis obedientia suscepissent, mox lætus & hilaris velut obdormiens obijt:

& sic vera esse, quæ vivens dixerat, moriens approbavit. Quidni ergo Abyssus gratiæ dicatur B. Virgo, quæ vt ex historia allata patet, etiam extra hujus vitæ limites, gratiam prolatet, prorogetque tempus misericordiæ?

§. 2. *Quo fundamento nitatur hæc Abyssalis gratia in B. Virgine.*

CErtum est Abyssalis gratiæ fundamentum præcipuum in MARIA, secundum omnes Theologos Dei esse maternitatem; quæ infinitudinem quandam gratiæ ac meritorum involuit, vt docet S. Thomas Angelicus Doctor: de qua tamen erit postea amplior, & magis ex professo dicendi locus. Nunc dumtaxat ab tribus ipsis Sanctissimæ Triados personis argumenta quædam & rationes indago, quæ Abyssalem gratiam in Deipara Virgine probare videntur. Et verò à prima persona in Divinis, quæ est Pater, non potest non probari ista gratia: si quis MARIAM Æterni Patris Filiam primogenitam ac præelectam ante omnes puras creaturas consideret. Secundò suadet Elogium, quod illi adscribit Andreas Cretensis, cum illam *Divinarum reconciliationum fideijussionem appellat.* Quod ad intelligentiam sic exponi posse videtur. Actum erat in divinis Decretis redimere hominem lapsum, & postliminiò cælo restituere. Redemptore opus erat; ad hoc se obtulit Filius, & quasi fidejussorem offert, MARIAM Matrem, ex qua sanguinem & corpus sumpturus erat, quod in lytrum redemptionis humanæ cederet: Acceptavit Pater: inde dicta B. Virgo ab Andrea Cretensi: *Divinarum reconciliationum fideijussio:* atque inde Abyssalis gratiæ argumentum. Quippe si bene perpendamus

3. part. q. 28. art. 3.

Vide Celada in Judith.

damus quid *fideijuſſio* & *fidejuſſor* apud Iuriſconſultos teſte Donato, *auctor credendi alium facturum, aut daturum, idqúe ſua fide & periculo promittens*. Vnde fidejuſſior tantum debet habere & tantum poſſe, quantum ille pro quo ſpondet & fidem ſuam obligat v. g. ſi pro mille ſcutis ſpondet; debet mille ſcuta habere in poteſtate, ſi alter pro quo fidejuſſorem ſe ſtatuit, pendere negligat. Quidni ergo Abyſſalem quamdam gratiam in MARIA agnoſcamus, quam pro Filio in *Divinarum reconciliationum fideijuſſionem* acceptat Pater?

Nec minor eſt à Verbo Divino Incarnato hujus veritatis probatio ac ſtabilimentum: eo quod MARIA ſecundum carnem Divini Verbi Mater eſt. Attingit hoc Hippolytus Portuenſis Epiſcopus, ſic ſcribens: *Qui dixit bonora patrem tuum & matrem tuam, vt decretum à ſe promulgatum obſervaret omnem gratiam matri & honorem impendit.* Quod ſi Verbum Incarnatum, quantum quantum fuit anima, corpore, ſenſibus omnibus, viſu, habitu, tactu & oſculis chariſmatum & gratiarum dona hominibus communicare venerat: quid non Matri ſuæ amantiſſimæ contulerit, cum novem menſibus in ejus vtero reſpiravit? cum ſedit in gremio, cum oſcula dulciſſima illi libavit, cum vbera ſuxit, inter aſpectus ſuaviſſimæ charitatis? Quod optavit Sponſa in Canticis: *Oſculetur me oculo oris ſui*: millies hoc accepit MARIA ab Infantulo ſuo IESV. De quo ita Guarricus Abbas Virginem loquentem inducit: *Cum parvulum tenerem inter brachia, quoties oſculari ſpecioſum præ filijs hominum mibi libebat, ſatis licebat. Nunquam faciem avertebat, nunquam matrem repellebat.* Certè ſi ab aſpectu Chriſti tot dona gratiæ ad hominem derivata ſunt: vt experti ſunt Petrus in domo Caiphæ, Mathæus in telonio,

Orat. de Sanctific.

Cap. 1.

Ser. 2. de Aſſumpt.

nio, Zachæus in Sicomoro: quas ſuavitates & gratias ab eo non acceperit MARIA Virgo, quam primam omnium Chriſtus naſcens vidit, poſtremam moriens?

Neque Spiritum Sanctum tertiam in Divinis perſonam defuiſſe B. Virgini, vtique Sponſæ chariſſimæ, ad conſtituendam Abyſſalem gratiam, vllo modo dubitandum eſt. Lubet hîc audire B. Amedæum ad illa verba S. Lucæ: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te.* Vbi ſic fatur. *In alios Sanctorum venit, in alios veniet: ſed in te ſuperveniet; quia præ omnibus & ſuper omnes elegit te vt ſuperes vniverſos, qui ante fuêre & poſt te futuri ſunt plenitudine gratiæ.* Ad hoc etiam S. Hieronymus advertit illa eadem verba S. Lucæ: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, ſecundum Evangelium Nazaræorum legi: *Deſcendet ſuper te omnis fons Spiritus Sancti.* Si ergo omnis fons gratiæ cum Spiritu Sancto in MARIAM deſcenderit: quis eam Abyſſum gratiæ dicere & prædicare addubitet?

Hom. 3. de Laud. B. Virg.

§. 3. *Quomodo nobis vtiliter ad hanc Abyſſum accedendum eſt.*

AD Abyſſos & voraginum margines accedere, vel tantiſper in crepidinibus conſiſtere, intutum plerumque hominibus ac periculoſum: Siquidem deſpectu ipſo ad infima & præcipitia turbatur oculus; exinde phantaſia, atque hinc ruina ſępenumero & caſus. Cæterùm de acceſſu ad hanc Abyſſum myſticam, Virginem inquam MARIAM aliter omnino philoſophandum. Si quis caſus ad illam eveniat, fortunatus eſt: quales ſæpe in natura evenire cernimus. Feliciter aquæ gutta in vini dolium incidit. Celebrat Martialis formicæ lapſum in

in ſuccini guttam, cujus mors iſto caſu pretioſior, quàm vita fuerat; ſic enim canit.

Dum Phaëthontea formica vagatur in vmbra, Lib. 1. Epiſt. 13.
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.
Sic modò quæ fuerat vita contempta manente,
Funeribus facta eſt jam pretioſa ſuis.

Agedum ergo quid timeamus ad hanc Abyſſum Marianam procidere, & in genua provolui. Præivit Archangelus Gabriel, qui MARIAM ſalutans genu curvo à pictoribus paſſim exprimitur. Quamquam controverſum aſſerit Marcus Vigerius Cardinalis: eo quod non deceret illum, vt Legatum ſummi Dei præſentiam & Majeſtatem gerentem genu flectere. Affirmat tamen peracta legatione genu curvaſſe, vt Verbo Divino intra MARIÆ caſtiſſima viſcera incarnato, hunc latriæ cultum exhibuiſſe, & Deum hominem in ventre Virginali tanquam in thalamo ſuo, genu flectendo cum reliquis Angelis adoraſſe. Laudo qui ad MARIAM ſalutandam cum Paranympho cęleſti ſic accedunt: eiq́ue reverenter ejuſdem Angeli Legati Verba depromunt: *Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.* Id moris habuit MARIA Oigniacenſis inſignis pietate fæmina, quæ ſingulis quaternis diebus millies noctu & interdiu, eadem oratione genu flectens Deiparam ſalutabat. Ita etiam facere conſueviſſe accepimus S. Margaretam Hungariæ Regis filiam, quæ Feſtis Deiparæ diebus Salutationem Angelicam millies recitans, cujuſque Salutationis initio magna pietate poplites curvabat. Idem refert Ægidius Iunior: ſed obſecro caſum fortunatum advertite. Aſſueverat Religioſus Anglus crebris genuflexionibus & curvatione corporis Deiparam venerari: ſed in ſenectâ cum ægrè flecteret, ac ſeſe erigeret: manda-

In Decacho Chriſtiano parte 2.

In Scala Cœli.

mandaverat Abbas vt in isto devotionis exercitio à duobus junioribus Monachis juvaretur. Sed ecce dum illi absunt & senior genuflexus, curvoque in terram corpore, nequiret sese erigere: adfuit B. Virgo, Virginibus multis comitata; simulque duabus è cœtu suo imperat, vt lapsabundum senen erigant: exequuntur illæ ocyus Mariæ imperium. Erigitur ergo in pedes Mariæ cliens; cui ipsa benigno vultu ac voce sic locuta fertur: *Placuêre mihi hactenus obsequia tua: approbo genuflexiones illas, quas mihi coram imagine mea, à prima inventâ, ad vsque senium venerabundus obtulisti. Porrò, vt pergas etiam gratum erit: quamobrem non modò in pedes erigi te volo, verùm etiam pristinis viribus, ac juvenili vigori restitui.* Dictum factum: statimque dictus senex ad trigesimæ ætatis statum, vegetumque robur reductus est. Constat ergo casum ante hanc Abyssum mysticam, opportunum atque vtilem esse posse.

Est & alia praxis Abysso accommodata, nec minùs mortalibus vtilis: votis scilicet, donarijs ac muneribus Deiparam promereri: quidquid oblatrent critici & mammonæ assec læ.

Hac quoque Virgineus quæritur arte favor.

Scribit Plinius ad Dalmatiæ specum esse vasto in præceps hiatu, ac profunda voragine, in quem si vel leve pondus demiseris, puta lapillum aut globulum: statim tranquillo quamvis die turbini similis procella è fundo exilit. Alia est planè hujusce Abyssi Marianæ natura & qualitas: in quam si vel vota, vel donarium aliquod projeceris: non turbinum procellas, sed suavissimi S. Spiritus afflatus exurgunt, auræ gratiarum, quibus nobis refici licet & animari ad decurrendum feliciùs & constantiùs in stadio virtutum.

Ergo

Ergo te fatemur, ô MARIA, Abyſſum eſſe gratiæ. Talem te effecit infinitudo gratiarum, quæ in te confluxerunt: Talem te Abyſſum eſſe voluit Pater, vtique Filiam primogenitam & prælectam: Talem te conſtituit Filius vt Matrem: Talem te effecit Spiritus Sanctus vt Sponſam, in quam ſupervenit cum plenitudine chariſmatum ſuorum. Quàm gaudemus hæc Elogia ab Abyſſo cœpiſſe, quia à gratia. Non eſt aliquis qui dicat de hac Abyſſo, quod habetur initio Geneſeos: *Tenebre erant ſuper faciem abyſſi*: ſed gratiæ lux & ſplendor: Ita ergo nobis fave, ô MARIA, vt aliquando ab Abyſſo gratiæ & lucis, perveniamur ab Abyſſum æternæ gloriæ ac felicitatis. Cap. 1.

LITERA

B.

BALSAMVM AROMATISANS.

Quaſi Balſamum aromatiſans odorem dedi. Eccli. 24.



ARIÆ ingenium maternum omnino, & ad juvandos Adami filios procliviſſimum nemo non ſatis miretur. Lues hæreditaria primi parentis, per omnes corporis ſenſus ad nos irrepit: & verò peccatum ipſum nihil aliud eſt quàm fætor animæ: expreſſus in Lazaro ad vitam revocando: *Fœtet, quatriduanus eſt enim.* Vt Ioan. 11. nobis medeatur Virgo Balſamo ſe comparat, quod illi

In Spec. c. 5. & 7. Elogium adſtruunt S. Bernardus in Lucam, S. Bonaventura & alij. Dicemus,

§. 1. *Quæ ſit natura Balſami.*

§. 2. *Quæ congruentia B. Virginis* MARIÆ *cum Balſamo, maximè in effectis.*

§. 3. *Quis odor virtutis ceu Balſami eſſe debeat in Cliente* MARIANO.

Vt varia cœli qualitas & ingenium: ita ex hoc vt canit Virgilius:

Non omnis fert omnia tellus,
Hîc veniunt ſegetes, illic feliciùs uvæ.

Hinc non quævis regio Balſami ferax, qualis fuit Palæſtina: itemque poſtea Ægyptus. Nerembergius & ante hunc alij, narrant iſthic Balſametum fuiſſe fertiliſſimum, quod aquis fonticuli irrigabatur, in quo B. Virgo, Herodem fugiens, puerum IESVM, ejuſque panniculos lavare conſueverat. Præter hæc loca etiam Indiam & Arabiam Balſamis abundare ſcribunt Hiſtorici.

De mirab. terræ Sanctæ cap. 12.

§. 1. *Quæ ſit natura Balſami.*

Lib. 12. cap. 23. DE natura & cultura Balſami ita ſcribit Plinius: *Omnibus odoribus præfertur Balſamum; frutex eſt viti ſimilior, quam myrto: folium proximum rutæ, perpetuâ comâ. Inciditur vitro, lapide oſſeiſvè cultellis. Succus ex plaga manat, quem Oſobalſamum vocant eximiæ ſuavitatis.* Hebræi *Baalſchemen* appellant, id eſt, Princeps vnguentû. Brochardus & Adrichomius inter ea quæ ſcripſerunt de terra Sancta addunt Balſami meſſem talem eſſe. *Decerpitur folium ejus ex ſtipite contra ſolem: moxque gutta*

gutta lucida & mirè fragrans ſcaturit ex ruptura; & hîc Balſami pretioſiſſimus liquor vaſculis vitreis colligitur: minimè fluxurus niſi ad ortum ſolis fiat ruptura. Atque hæc breviter de natura, cultura, & meſſe Balſami: in quo etiam ideam quandam Virginis licet agnoſcere. Quid enim, vt odor Balſami, præſtantius ac ſuavius fragrantiâ caſtitatis & virginitatis MARIÆ, quæ ad divinitatem proximè pertinet, juxta illud Ovidij:

Manſit odor, poſſes ſcire fuiſſe Deam. Lib 5. Faſtorum.

Quàm multos, Deus bone, allexit vtriuſque ſexus odor ille divinus ac Virginalis MARIÆ? Suos hinc habet Eccleſia Hermannos, Caſimiros, Thomas Aquinates, Aloyſios, Staniſlaos: ſuis quoque ab hoc Balſamo caſtitatis, hæc eadem Eccleſia Catharinis, Baſiliſſis, Agnetibus, Pulcherijs gloriatur: quæ divinis delitijs illectæ, MARIÆ veſtigijs inſiſtentes, cucurrerunt in odorem vnguentorum Sponſi & Sponſæ.

Elucet etiam idea B. Virginis in Balſamo, quod perpetuus illi foliorum & comæ viror. Quid conſtantius & vt ſic dicam tenacius B. Virgine in operibus virtutis? paſſa eſt Deipara acerrimam hyemem, nimbos, procellas, puta tempus, quo innocentiſſimus filius graviſſimis perſecutionum & paſſionis ſuæ tormentis ſuccubuit: nec tamen vnquam illa aut fidei, aut charitatis vigorem amiſit; vt de ea dici poſſit illud Salomonicum: Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Et ita quidem retinuit gratiæ vigorem, vt illum etiam ſuis clientibus inſpiret tenaciter: vnde illud convenire poſſit, quod Salomon de muliere Prov. 31. forti: *Non timebit domui ſuæ à frigoribus nivis.*

Modus quoque metendi Balſamum B. Virginem adumbrare poteſt. Metitur Balſamum, vt ſupra memoravi

moravi

moravi ex Brochardo & Adrichomio *Ad ortum solis.* Sic Balsamum, id est Sanguis Christi divinus in circumcisione *Ad ortum solis* expressus est, octavo die ab ortu Christi: cui statim vnà fluxerunt erumpentes ex oculis MARIÆ suavissimæ lacrymæ, mixturâ gratissima, vt vno vulnere, & caro Christi tenella, & cor MARIÆ tenerrimũ Balsamum funderent. Addo interim plus Balsami, id est lacrymarum à Virgineis oculis, occidente sole, quàm oriente manasse. Neque enim tunc cultellis osseis aut lapideis, vt in Circumcisione, liquorem hunc Balsami elicuit: sed totis armis sævitum est. Intellige cunctis Passionis instrumentis: virgis, spinis, fustibus, flagellis, catenis, clavis, lanceâ denique per medium latus crudelissimè adactâ. Quòd quidem lanceæ ferrum de latere & corde Christi sanguinem & aquam, purissimum Balsamum expressit: ex oculis MARIÆ, quamquam magno cum dolore, amoris divini fragrantissimos lacrymarum imbres.

§. 2. *Quæ congruentia B. Virginis* MARIÆ *cum Balsamo, maximè in effectis.*

VIrtutes & effecta Balsami præcipua hæc sunt: curatio vulnerum, Sanguinis fluentis suppressio, Serpentum fuga, & quidquid veneno affine est. Dupliciter in Virgine hæc Balsami effecta cernuntur: vtique quæ sanandis tam corporibus, quàm animis propitia est. Certum est adeò Balsami liquorem vulneribus opportunum, vt notent Historici, bestias quaslibet sauciatas, instinctu quodam ad Balsameta festinare, quò Balsami affrictu, sibi medelam conferant. Porrò si à corpore ad animam sermonem transferam; licebit conspicere, ab

vna Virgine, vt Balſamo, & animam & corpus ſanari.

Inſigne eſt illud quod Turſellinus in Hiſtoria Lauretanæ Virginis, de Sicula muliere ſcribit: quod ejuſdem auctoris verbis Lectori hîc repono. *Sicula*, inquit, *mulier Venetijs, multos annos vulgato corpore quæſtum fecerat. Tandem bonis in pecuniam redactis, in patriam per Lauretanum Templum, quo inibi vitæ maculas expiaret, familiari quodam ſuo comite, redibat. Cum ecce in Ravennati ſylva, comes ille prædæ ſpe, stricto mucrone eam petit, & ex equo dejectam plagâ concidit, ac ſeminecem B.* MARIÆ *Lauretanæ ſubinde præſidium implorantem jugulat, pecuniaqúe ſublatâ recedit. Illa in ſuo natans cruore, jam moribunda luctantem animam Beatiſſimæ Virgini commendabat; quæ repente & in veſte candida, cæleſti emicans luce ſe offert; & bono animò eſſe juſſam benignè amplectitur, moribundamqúe gremio fovens, ſimul vulnera corporis tactu ſanat: ſimul ægrum animum cæleſti perfundit gaudio. Deinde caſtæ vitæ admonitam relinquens, ex ejus oculis elabitur. Ibi tum mulier velut ex profundo excita ſomno, recentium vulnerum cicatrices obductas videt: mortiferam juguli plagam perſanatam ſentit, explorans manu. Itaque maximas Deo & Deiparæ gratias agit: cumqúe in ſubucula cruenta & lacera relicta eſſet in ſylva à latrone, à mulieribus quæ illac fortè tranſibant centone contegitur, & mulo impoſitam Anconam devehunt, inde Lauretum contendit: vitæ labes ſacra confeſſione expiat. Miraculum Deiparæ omnibus prædicat, & ad rei fidem faciendam cicatricem in jugulo oſtendebat, quæ aurea circa collum monilis in modum fulgebat. Id verò permulti viderunt, inter quos Raphael Riere Societatis* IESV, *qui rem memoriæ tradidit. Mulier verò illa Laureti vitam ducens, divinis identidem expiata myſterijs*

Hiſt. Laur. lib. 3. c. 28.

rijs Liberatricem suam invisebat: pluresque ex incolis ad Dei Deiparæque obsequium singulari pietatis exemplo excitabat. Hactenus Turselinus.

Alterum Balsami beneficium, est veneni ex venis jam infectis depulsio, ita efficaci virtute, vt Historici plerique affirment, viperis ipsis, quæ inter Balsameta degunt, aut venenum excutere, aut si retinent, innoxium esse. Præterquàm corporibus, hoc animis etiam præstat B. Virgo majori beneficio: cujus testimonium ex eodem Turselino lubet addere. *Iacobus*, inquit, *Marchio Badensis ex Germaniæ Principibus Lutheri venenum hauserat animo; isque accepto vulnere in brachio plumbea glande in Coloniensi tumultu, ad vltimum vitæ discrimen venerat. Itaque Beatissimam Virginem Lauretanam implorat (famâ scilicet miraculorum ejus, quæ etiam tum vulgabantur in dies piè commotus) vovens se si salutem consequatur, ad eam cum donis iturum. Mox à periculo mortis eximitur ac sanatur: sed ita vt brachium movere non posset. Lauretum igitur anno 1584. voti exolvendi causâ & spe brachij recuperandi venit. Ibi gratijs pro recuperata sanitate Deiparæ actis, votivum magni pretij custodibus tradit: & novo se alligat voto, si integram sanitatem recipiat: voto adjicit preces, ad Sacrosanctam cellam identidem regressus. In his precibus biduo exacto sub solis occasum ad hospitium, cujus insigne est Vrsus, se recipit. Nox erat Christi Natalis, quando tertiâ ferè vigiliâ candida in veste collucens Virgo se illi offert in quiete: bonum animum habere jussa, brachium manu præhensum extendit illicò, sanatque. Marchio igitur tam evidens testatumque miraculum præsidi Lauretano exponit: ille miraculum ritè consignatum literis, subscribendumque à testibus curavit. Marchio verò gratijs Deo ac Dei Genitrici*

Hist. Laur. lib. 5. cap. 6.

trici impensè actis Romam ad Gregorium XIII. summum Pontificem se contulit, cui fidem addebat persona narrantis. Ipseqúe antea in Lutheri erroribus enutritus de Catholica Religione & Christi Vicario bene sentiebat. Quare Gregorius miraculi admiratione, lætitiaqúe perfusus, Marchionem omni bonore coluit: qui Germaniam repetens, Lauretanam Virginem revisit: vitamqúe instituit deposito bæresis veneno, quæ omnibus esset innocentiæ ac pietatis exemplum: suaqúe authoritate complures ex suis popularibus ad Catholicam Religionem traduxit. Sanat ergo MARIA vt Balsamum, & venenúm hæreseos animo haustum enervat & foras expellit.

Asserunt etiam nonnulli Balsami vnguentum putredini resistere: inde cadavera in sepulchris Ægyptiorum plures annos incorrupta manent: imò etiam vim nescio quandam ac fortitudinem animis indere, juxta illud Martialis. Lib. 14. Epist. 54.

Balsama me capiunt, sunt bæc vnguenta virorum:
Delitias Nini vos redolete nurus.

Non poteſt non ad heroïca facinora erigi, quem MARIA Virgo suis odoribus & Balsami pia aspergine dignatur. Ita nos ama, ô bona Mater, amabilis Virgo, & vt ait D. Bern. influat à Spiritu Sancto pretiosum illud Balsamum, & effluat circumquaque, vt etiam contra venena vitiorum & nobis & alijs Balsamum esse possimus. In Nativit. B. Virg. de Aquaductu.

§. 3. Quis odor virtutis seu Balsami esse debeat in Cliente MARIANO.

A Laudibus MARIÆ, quam Spiritus Sanctus Balsamo similem prædicat, ad mores deflectimus. Oportet

Oportet enim ſi veri MARIÆ cultores eſſe velimus, vt Balſamum quoque in publicum ſpargamus exemplo vitæ. Eò nos vocat S. Paulus, cum ſcribens ad Corin-
2. Cor. 2. thios ait: *Chriſti bonus odor ſumus.* Quæ verba expendens D. Bernardus ſic fatur: *Bonus Chriſtianus ſuum debet habere odorem & colorem: odorem in fama, colorem in conſcientia.*

Qua propter curandum eſt, vt quę agimus bona bene fiant, vti debitis circumſtantijs ceu coloribus ornata, in publicum prodeant cum ædificatione proximi, &
Sherlogus in Cant. Balſamum ſpirent. Attende quæſo Magdalenam quæ viventem Servatorem odoribus perfundere conſueverat: defuncto etiam corpori idem pietatis obſequium exhibere nititur. Sed quando? *Cum tranſiſſet Sabba-*
Cap. 16. *tum*, inquit Marcus, *Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerunt* IESVM. Quid ſibi vult expectatio tranſituri Sabbathi? ô MARIA? Amor feſtinus eſt, accelerat morarum impatiens? quorſum præterlabuntur horæ? Scio, militem ferocem cuſtodem ſepulchri non times: non Iudæorum rabiem, non tenebras, & obſcurum; non ſuperpoſiti lapidis vaſtam molem. Et Sabbatum exſpectas? Verùm dies feſtus eſt in quo operari non licet, religio impedit. At conſidera ſupra Sabbatum eſſe authorem Sabbati, deinde per IESV mortem veteres Iudæorum cerimonias ſublatas eſſe. Non igitur te Sabbatum obligat. Abi ergo, propera ad monumentum, ante finitum Sabbatum, ipſo die Sabbati. Sed non movet ſe Maria, ne Sabbathi violatrix appareret, & malum odorem, quamquam ex bono opere Iudæis ſpargeret, Synagogâ necdum ſepultâ. Tormenta amoris patitur ne ſervatæ in eum diem famæ optimæ jacturā faceret.

ceret. Itaque reducendum ad praxim illud Apoſtoli monitum: *Chriſti bonus odor ſumus*. Sanctus Patriarcha Iacob reprehendens ſtragem factam in Sichimitis à Simeone & Levi, filijs ſuis, ob violationem Dinæ Sororis. *Turbaſtis me*, inquit, *& odioſum me feciſtis Chananæis*: Hebraicè legitur: *Fœtere me feciſtis Chananæis*. Procurandum ergo nobis eſt vt bonâ vitâ & exemplis, ſi quidem Christi & MARIÆ aſſeclæ & filij ſumus, bonum odorem ſpargamus. At propoſitæ quæſtioni occurrit S. Chryſoſtomus: *Fortè dices apud temetipſum: homo ſum ſæcularis, vxorem habeo & liberos. Quid ad me pertinet de publico? curabo ergo eſſe Balſamum domeſticis. Vt publicè id fiat, Sacerdotum eſt ac Monachorum: attrahere ſcilicet quoſlibet bonæ vitæ exemplo & odore. Samaritanus per viam ambulans Iericho; hoc non dixit, quando invenit hominem illum ſpoliatum & vulneratum à latronibus: Vbi nunc Sacerdotes, vbi Phariſæi, vbi Iudæorum Doctores? ſed acceſſit ad miſerum, & ad illius vulnera curanda vinum & oleum infudit. Fac per te hoc, quia lucrum tibi eſt*, Quod probat allata ſimilitudine. *Si inveniſſes*, inquit, *aurum jacens in via, non diceres: quare ille & ille hoc non ſuſtulit? ſed nimirum ſtatim ipſe colligeres*. Ergo colligitur publicè erga omnes charitatem exercendam eſſe, nec domeſticis tantùm per opera bona, Balſamum ſpirandum, ſed omnibus.

Gen. 34.

Hom. 16. ad pop.

Porrò bonus iſte odor Balſami in afflictionibus & calamitatibus adverſantis fortunæ; quæ ſine Divinæ Providentiæ decreto nunquam accidunt, àb vnoquoque Chriſtiano exigitur. Præivit hac via patientiſſimus Iob, qui ad vltima redactus, amiſſis omnibus divitijs & poſſeſſione; etiam filijs ſub ruina domicilij inter convivandum obrutis: non aliud quàm Balſamum ſpiravit di-

 cens:

Cap. 1. cens: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* Vox illa odoris & Balsami plenissima, ita ad cœlos vsque penetravit; vt quamvis à sedente in sterquilinio, omnes tamen Angelos, ipsumque Deum odoris fragrantia ad talem athletam contemplandum allexerit, solutis cœli repagulis, vt pleniùs suavissimum istum Balsami odorem exciperent, inquit D. Chrysostomus.

Quidni ergo ita studeamus vivere, ac Deiparam Virginem imitari, vt Balsamum gratissimum omnibus, imò & proficuum esse possimus? At cavendum inprimis ne aliquâ mixturâ Balsamum nostrum vitietur. Imitanda est nobis Beatissima Virgo Dei Mater, de qua dicitur ab Ecclesiastico: *Sicut Balsamum non mixtum odor tuus.* Scribit Plinius Historiæ naturalis scriptor & Dioscorides, varijs modis Balsamum adulterari: fidelitatis ejus argumentum esse, si lacti infusum illud coagulet, & vestem contingens maculas non faciat: impurum autem si maculet, & lacti infusum illud non constipet. Vis imitari Virginem? cave ergo ne Balsamum Eccli. 24. tuum & mixtum & adulterinum sit, dicente illa: *Sicut Balsamum non mixtum odor meus.* At quotus quisque est inter Christianos, qui vt Balsamum non mixtum spiret, & odorem virtutis defæcatum emittat? Quàm sępe heu! prava & sinistra intentio, affectio terrenorum bonum opus fœtere facit! caveat ergo quis opera sua bona facere vt videatur ab hominibus & glorificetur ab illis, monet Christus apud Matthęum: caveat ita altari servire, vt pecunijs inhiet & mammonę sacrificet· caveat opus charitatis & eleemosynam facere, quò scandalum moveat & alterius castitati insidietur. Balsamũ hoc adulteratum est, fœtet, maculat. Faxit Deus ac bona Diva vt aliud in nobis videatur.

LITERA

LITERA

C.

COLLEGIVM SANCTITATIS.

Ego Sapientia eruditis intersum cogitationibus. Prov. 8.



QVOD de Sapientia increata, ad literam exponit Salomon: hoc de B. Virgine Verbi Divini incarnati, ac veræ Sapientiæ Matre myſtico ſenſu accipiunt Sancti Patres & Interpretes. *Interſum*, vt annotat Salazar noſter, idem eſt ac *præſum*: nimirum quaſi profeſſor aliquis in gymnaſio & Collegio. Præfuiſſe B. Virginem primis Eccleſiæ Concilijs tempore Apoſtolorum cenſet Rupertus Abbas Tuitienſis. *Lib. 5. de B. Virg. c. 1.* Colligimus quoque ex S. Ildefonſo Chriſtum in iſto Collegio ſub diſciplina Matris quaſi ſe Scholarem habuiſſe. *Vide Celada in Iudith.* Quare non immeritò eamdem Virginem, inter alia Elogia, quæ retulimus ſupra in nomine MARIÆ *Collegium Sanctitatis* appellat D. Chryſologus. *Supra ſer. 146.*

§. 1. *De Fundatore ac præſide hujus Collegij.*
§. 2. *Quæ prælectiones habeantur ad Sanctitatem practicam.*
§. 3. *Quàm vtilis frequentatio hujus Collegij.*

Collegium ex ipſa etymologia & origine nominis duplicem habet ſenſum. Nam ſi quis à verbo *Colligo* vo-

cabulum hoc derivet: erit cœtus hominum disciplinæ professione colligatorum, quibus vna est mens & studium collimandi ad aliquid: sive dignitas sit, sive status, sive acquisitio fuerit alicujus doctrinæ & artis. Qui verò hoc idem nomen *Collegium*, à verbo coëligo deducunt; erit vnio duorum aut plurium electorum ad ejusdem muneris administrationem: sic Consules apud Romanos, qui ad regendam rempublicam eligebantur, Collegæ dicti sunt.

Collegium ergo *Sanctitatis* dicta est B. Virgo MARIA à D. Chrysologo, quasi tertio aliquo modo; quod in eam confluxerint omnia genera gratiarum: doceaturque in ea quidquid ad speculativam, & maximè practicam sanctitatem pertinet.

§. I. *De Fundatore ac Præside hujus Collegij.*

NOn alius hîc quærendus Fundator, quàm Deus ipse: quippe qui MARIAM omni perfectionis genere completam, virtutibus omnibus illustrem creavit; de qua sub typo civitatis dicitur: *Fundavit eam altissimus*. Et ita quidem magnificè ac liberalissimè hoc Collegium fundavit Deus, vt in eo omnes virtutes doceri voluerit verbo & exemplo. Reflecto ad id quod initio Geneseos habetur; nempe congregasse aquas quæ erant sub cœlo in vnum locum & appellasse *maria*: *Congregationesque aquarum appellavit maria*: vt significaret, quod omnium scientiarum, gratiarum ac virtutum locus, ac veluti Collegium futura erat MARIA. Ita pulchrè ludit D. Petrus Chrysologus: MARIA *mare vocabatur & quomodo non* MARIA *mare? Congregationes, inquit, aquarum appellavit maria*. Vt non abs

Psal. 86.
Cap. 1.
Supra.

abs re *Sanctitatis Collegium* ab eodem dicatur: pergit enim excellentijs nominis MARIÆ insistens: *Nomen hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc Collegium Sanctitatis.*

De Præside primario hujus Collegij, nemo est qui dubitarit vnquam, id munus S. Spiritui tribuendum esse: de quo dicitur apud Lucam: *Spiritus Sanctus superveniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ab vmbra Spiritus Sancti præsidentis in hoc Collegio, quid non potest Sanctum non esse? Certè omnes virtutes & perfectiones, quæ in Angelis & hominibus extitêre à S. Spiritu Præside in MARIA collectæ sunt; de quo scitè & verè Idiota: *Non defuit*, inquit, *tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia aut humilitas Virginum. In summa, nullo genere virtutum vacasti, ô Virgo plusquam beata. Quodcunque donum alicui Sanctorum vnquam datum fuit, tibi non fuit negatum: sed omnia Sanctorum privilegia habes in te congesta.* Homo quia mundi perfectionem vnus continet, *Microcosmos*, id est, *parvus mundus* à Philosophis dictus est. Quæ in elementis, in mixtis, in arboribus, animantibus sparsa, & divisa sunt: in homine vnita reperies, vt Vniversi compendium dici possit. Idem de Virgine dici potest, si Sanctis omnibus conferatur: scilicet Sanctorum *Microcosmus* MARIA est. Vna continet quidquid in quolibet Sancto illustre fuit & singulare. In prima rerum creatione Deus hominem condidit, qui cæterarum creaturarum perfectiones contineret: & in mundi restauratione ac reformatione, quæ per Filij Dei Incarnationem facta est, Virginem condidit, quæ Sanctorum omnium perfectiones complecteretur,

Cap. 2.

De contempl. Mariæ c. 2.

Vide Novar. in vmbra Virg.

ćteretur, vt Ecclesiæ *Microcoſmos* dici queat. Adeò vt ita ſe habeat Virgo ad Sanctos comparata, vt homo ad cæteras creaturas, quæ infra ejus dignitatem ſunt. Lubet

Ser. 3. de Nat. Virg.

hîc producere verba S. Thomæ à Villanova Archiepiſcopi Valentini: *Sicut in creatione mundi in homine collecta eſt omnis creatura, ideo Microcoſmos; ſic in reformatione mundi in Virgine collecta eſt omnis Eccleſia & Sanctorum perfectio: vnde Microcoſmos Eccleſiæ dici poteſt. Quidquid in quolibet Sancto fuit illuſtre, in illa fuit. In illa Virgine fuit patientia Iobi, manſuetudo Moiſis; fides Abrahæ, caſtitas Ioſephi, humilitas Davidis, ſapientia Salomonis, zelus Eliæ.* Sic ille. Quid igitur non Sanctum in MARIA, quam Deus fundavit vt *Collegium Sanctitatis*: quam obumbravit Spiritus S. in eam ſuperveniens, vt Præſes?

Addo & aliud, nimirum in iſto Collegio B. Virginem MARIAM pro Vice-Præſide, ordinatione divina ſe habuiſſe. *Ego Sapientia eruditis interſum*, ſive *præſum cogitationibus*. Nihil vnquam Virgini defuit ad id munus. Non ingenium capaciſſimum, non mens divinis illuſtrationibus pleniſſima, non omnimoda ſapientia.

Lib. de Inſtit. Virg. cap. 7.
Lib. 9. de Laud. Virg.

Certè *Aulam Cæleſtium Sacramentorum* vocat S. Ambroſius: *Armarium Scripturarum* Richardus à S. Laurentio. *Veteris noviqúe Teſtamenti Sigillum, totius Prophetiæ clariſſimum ſupplementum.* S. Germannus Conſtant. Inſuper S. Anſelmus ad illa verba: *Intravit* IESVS *in quoddam caſtellum*, probat omnes theſauros Sapientiæ & Scientiæ fuiſſe in MARIA, quia intravit in eam, ibiqúe nemen ipſos menſes Chriſtus latuit, Verbum Divinum in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & Scientiæ Dei.

Luc. 10.

Ser. 2. de Aſſumpt.

Accedit quod S. Ildephonſus B. Virginem MARIAM

& *Pro-*

& *Prophetissam* & *Evangelistam* appellet: Et ne quis hujus nominis *Evangelistæ* insolentiam miretur: respondet Suarez hoc donum & Spiritus Sancti auxilium accepisse, quod datur Scriptori sacro ad Canonicam doctrinam scribendam, & prædicandam. Nam sicut Spiritus Sanctus dictat Scriptori sacro singula verba: ita B. Virgini singula verba dictavit, quæ in Illo Cantico celebri, *Magnificat*, protulit. Canticum autem illud est scriptura Canonica, non solùm quia materialiter refertur à Sancto Luca B. Virginem id protulisse: sed etiam formaliter ac per se, vt à B. Virgine prolatum est, & vt tale recipitur ab vniversa Ecclesia. Hactenus Suarez. Confirmatque hoc ipsum Rupertus Abbas, dicens vocem MARIÆ, vocem fuisse Spiritus Sancti. Habemus ergo & Præsidem & Vice-Præsidem in hoc *Collegio Sanctitatis*.

In 3. part. q. 37. art. 1. disp. 20. lect. 1.

§. 2. *Quæ prælectiones hîc habeantur ad Sanctitatem Practicam.*

PRrælectiones quæ hîc habentur non tam in theoria & speculatione consistunt, quàm in praxi, quæ scientia Sanctorum esse dicitur. Et quamquam virtutes omnes ad Sanctitatem conducant, & sint veluti gradus quidam illius acquirendæ: prçcipuè tamen Humilitas & Charitas hîc docentur: illa vt totius perfectionis & sanctimoniæ fundamentum; hæc vt fastigium & culmen. Hinc crebræ de vtraque hac virtute disputationes à Scholare Christo: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Hoc est præceptum meum vt diligatis invicem, sicut dilexi vos. Hæc mando vobis, vt diligatis invicem.* De qua & Filius & Mater singularia ad praxim, edidit

Matth. 11.
Ioan. 15.

edidit documenta. Quænam enim Christi nascentis, viventis ac morientis humilitas fuerit nullus Christianus ignorat. Audite si placet S. Cyprianum de Nativitate Christi disserentem. *Bethleem civitas parva, domus paupercula, supellex exigua: nulla pompa, nulla domus ambitio: nisi reclinatorium in stabulo, Filius in præsepio Mater in fœno.* Demonstrativa hæc figura fuit humilitatis Christi: sic Mathematicus professor, de pulpito descendens, cum multa verbis de Mathematica propositione disservit; virga illam in pulvere describit & exhibet. Et hoc est *Verbum abbreviatum*, vt dicit S. Bernardus *Quod fecit Dominum super terram*: vnde concludit: *Intolerabilis impudentia, vt vbi sese exinanivit, majestas, ibi vermiculus infletur & intumescat.* Quam humilitatem Christus testatus est, hanc etiam vivens ac moriens in semetipso expressit: *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*: inclinato etiam ad expirandum capite: quod genus mortis humilitatis summæ imago est, & exemplar. Quid etiam MARIA Virgine Dei Matre humilius? In Matrem Dei electa & ab Angelo salutata, ad Ancillæ conditionem sese demittit, dicens: *Ecce Ancilla Domini*: & in Cantico suo: *Respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Et quod Lucas in Actis Apostolorum MARIAM vltimò nominet, describens Apostolos & alios Fideles exspectantes adventum Spiritus Sancti: *Erant perseverantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus & MARIA Matre* IESV: multi affirmant id fecisse S. Lucam ex sensu & monito B. Virginis.

Ser. de Nat. *Ser. de Nat. Christi.* *Ad Philip. 2.* *Luc. 1.* *Cap. 1.*

Alterum dogma traditum in isto *Collegio Sanctitatis* est Charitas, quam Christus totâ vita, verbo & exemplo præcipuè docuit. De hoc dogmate audiendus est

B. Zeno:

B. Zeno: *O Charitas*, inquit, *quàm pia, quàm opulenta, quàm potens? nihil habet qui te non habet. Tu Deum breviatum paulisper à majeſtatis ſuæ immenſitate peregrinari feciſti: tu virginali carcere novem menſibus religaſti* Et ita quidem religavit, vt ab iſto charitatis & amoris exercitio nunquam deſtiterit. *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*: imò & vltra finem in Euchariſtia quod Sacramentum amoris eſt.

Orat. de Fide, Spe. & Charit.

Ioan. 13

Et hanc docuit charitatem Vice-Præſes hujus *Collegij Sanctitatis* MARIA. Expendit hoc Rupertus Abbas ad illa verba Canticorum: *Sicut vitta coccinea, labia tua:* vbi collatione facta cum Eva, quæ charitatem deſtruxit, ita rem exaggerat. *Eva diſſoluit amicitiam inter ſe & Deum proterva defenſione: ſi enim vinculo perfectionis, quod eſt dilectio & charitas ſeſe creatori adſtrinxiſſet; paries inimicitiarum in medio non ſurrexiſſet. In labijs tuis, ô* MARIA, *Sanctitas & magnificentia eſt. Illa Deo fuit muta: tu autem magnificaſti Dominum, mente ardentiſſima, voce ſuaviſſima, & hæc eſt vitta coccinea, quia charitas eſt ignea, quâ bene cum Deo ligata ſic illi adhæſiſti, vt vnus cum Deo Spiritus ſis.* Et verò quid ab ore & à labijs Marianis exeat, quàm charitas & amor, quem concepit intra ſacratiſſimum vterum, quem gremio & ſinu fovit, quem vberibus lactavit? à quo nec vivens, nec moriens vllo vnquam temporis momento ſeparata eſt? Vixit ſemper B. Virgo in igne amoris Dei & proximi: ſemper illum docuit tam verbo, quàm facto. Atque hæ ſunt hujus Collegij prælectiones præcipuæ, Humilitas & Charitas.

Cap. 4.

§. 3. *Quàm vtilis frequentatio hujus Collegij.*

PRimus *discendi ardor, nobilitas est Magistri*, inquit D. Ambrosius: & multos olim legimus Athenas profectos fuisse, vt illic Socratem, qui primus Philosophiam de cœlo evocavit, de moribus differentem audirent: ab eoque bene recteque vivendi normam ac præcepta edocerentur. Quid nobilius Dei Matre? quid vtilius, quàm in ejus Schola & Collegio, cælestis doctrinæ & disciplinæ sanctioris documenta percipere? Quid porrò præstantius, quàm in eo Collegio IESVM quasi Scholarem conspicari, vt humanitatem & clementiam in homines matris exemplo, ipsaque experientiâ condisceret? Ea mens fuit olim Andreæ Hierosolymitani: *Dei Filius*, inquit, *suapte naturâ Sanctus* in vtero Virginali, ceu naturæ officina, quoad incarnationem seipsum conclusit: Humanitatis enim studiosus est. Imò vt se naturaliter ad istam humanitatem, sive clementiæ suaviores actus disponeret: Cum posset Verbum Divinum, inquit, Abulensis ex qualibet parte corporis colligere sanguinem matris, ad formandum sibi corpus: colligere tamen voluit, ex purissimo illius corde, vbi est sedes humanitatis, vt propensior ex hoc magis esset ad amandum, compatiendum & miserandum. Semper in eo Collegio Matris permansit Christus dum junior esset ad annum vsque vigesimum: abfuit quidem triduo annum ætatis duodecimum agens, cum parentibus inscijs remansit Ierosolymæ: sed ejus absentiæ excusationem paternam exhibuit, cum dixit: *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quod in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?*

De Salut. Angel.

Luc. 2.

S. Ioannes

S. Ioannes Evangeliſta inter reliquos Apoſtolos, hoc maximè *Collegium Sanctitatis* frequentavit: atque in eo à MARIA didicit, quæ mortales omnes in admirationem rapiunt. Raptus eſt aliquando D. Paulus in tertium cælum, ibique eruditus, *Audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Ioannes in MARIÆ Schola quæ altiſſima didicit, loquitur tamen & toti mundo propalat quæ profundiſſima, inſimul quæ opportuniſſima ad ſalutem. Sed quæro an homo eſſet Ioannes, Collegium hoc aſſiduè frequentans? Erat quidem, ſed eſſe non videbatur, inquit Origenes: *Non erat Ioannes homo, ſed pluſquam homo, & ſeipſum & omnia quæ ſunt ſuperans.* Ergo plus quodammodo profuit Ioanni in MARIÆ Schola & Collegio à MARIA Vice-Præſide doceri; quàm Paulo profuerit in cœlum rapi. Certè quod ea Ioannes hominibus prodiderit, quæ ſunt adeò ſublimia, quæque mentes in cælum rapiant, MARIÆ in primis tribuendum eſt: & ea Ioanni aperuit, ſuggeſſitque vt iu noſtri vtilitatem ſcriberet, & in lucem proferret: maximè quæ de Divinitate Verbi & charitate diſſeruit.

2. Cor. 12

Exinde poſt Apoſtolos, qui MARIÆ coævi fuêre, quis eorum Elenchum ſcribat, qui Sanctimoniâ & cæleſtibus diſciplinis inſignes ex hac MARIANA Scholâ prodiêre? Celebrat inter eos Eccleſia Bernardum, Ildephonſum, Rupertum, Richardum, Bonaventuram, Albertum Magnum: nec inter poſtremos cenſendus eſt S. Ignatius Societatis IESV Fundator, qui à ſæculari vita ad ſanctiorem tranſlatus, didicit à Virgine quibus gradibus quarúmve præſertim exercitio ad ſanctimonio perveniretur. Teſtis Liber Exercitiorum, quem homo adhuc literarum ignarus, Deipara Virgine adſtante ac dictante compoſuit. Quod idem accidiſſe illi ferunt

P. Palma in Lib. Exerc.

ferunt cum Societatis, quam de novo condebat, Institutiones conscripsit: quas si quis accurato mentis oculo perlustrat & totam istius operis molem attendat, statuet haud immeritò non tantùm Societatem IESV: sed & MARIÆ appellandam esse.

Postremum de hoc *Collegio Sanctitatis* inquiri potest, an ab omnibus, cujuscumque status & conditionis sint, adiri queat. Movet hanc quæstionem D. Chrysostomus, ac respondet; vt charitatem, ita & Sanctitatem Christianis omnibus commendari: nullum omnino esse, qui ab ea procuranda meritò se excusare possit. *Dic agedum*, inquit, *quem mihi dare possis, quocumque in ordine & statu inveniatur, qui à procuranda sibi sanctitate jure aut se excuset, aut eximat? An vxoratum? Abraham vxorem habuit & liberos & divitias, & Sanctus effectus est. An pauperem? Lazarus qui jacebat ad januam divitis talis erat, & tamen virtutem & Sanctitatem sibi comparavit. Concipe animo quoscumque volueris, sive Ecclesiasticum, sive Sæcularem, sive Nobilem, sive Plebæum, nemo à Sanctitate sibi comparanda eximitur. Quia neque divitiæ, neque paupertas, neque nuptiæ, neque servitus, neque negotiatio, neque dignitas, à Sanctitate & perfectione procuranda nos impediunt.* Quidni ergo Sacramentum faciamus ab eo Collegio numquam migrandi? contra verò vigilandi ad *fores ejus quotidie & observandi ad postes ostij ejus*. Habemus illud metricis versibus à Iacobo Baldæo nostro conceptum ad Deiparæ gloriã. Perge, & vsurpa illud, si placet.

Ser. de nuptijs in Cana.

Iungentur Lepori canes
Et Pardi capreis, & timidi latus
Asternent ovibus Lupi.
Pisces aërios transilient notos,

Et

Et supra juga montium,
Balenæ choreas cum vitulis agent:
Cervi subter aquas, sua
Deponent liquidæ cornua Naiadi,
Quæ saltus per & avia
Sylvarum volitans, pennipedes apros
Laxis retibus induet.
Hæc possunt fieri, Virgo, meum Decus:
Vt te, vel tua deseram,
(Sic me Diva juves) haud fieri potest.

Faxit Deus, vt quicunque hoc Collegium adierint, constantes maneant; vt nunquam vlla aëris intemperies, pluvia, grando: & quod amplius est, nulla impiorum obtrectatio, scommata, dicteria, ab hujus frequentatione nos aut disturbent, aut distrahant.

LITERA
D.

DIOPTRA DEI.

Dominus de cælo prospexit super filios hominum. Ps. 13.



MPIORVM error est maximus, atque adeò sacrilegus, Deum exoculare, vt sic loquar: id est, omnem ab eo visionem auferre, quod impij ac scelesti apud Iobum temerè effutiunt blaterantes: *Quid novit Deus? nubes latibulum ejus, nec nostra considerat.* Aliter nos fides edocet; *Domi-* Cap. 22.

nus enim de cælo prospexit super filios hominum : Perspicacibus ejus oculis, nihil omninò impervium est, omnia illi ab æterno cognita & prævisa; siquidem *oculi ejus lucidiores sunt super solem.* Nihil obstat tamen quò minùs Deo Electos suos contemplanti *Dioptram* assignemus. Ita B. Virginem compellat Andreas Ierosolymitanus, quem eumdem esse cum Cretensi Episcopo putat Possevinus noster in Apparatu Sacro. Is ergo inter alia Epitheta, quibus Deiparam Virginem salutat, hæc habet : Χαῖρε διόπτρα τοῦ θεοῦ, *Salve, ô Dioptra*, sive *perspectiva Dei.* Tria nobis dicenda occurrunt semper hoc *Elogio.*

Eccli. 24.

Ser. 2. de Annunt.

§. 1. *Quæ visio Dei activa, & quàm excellens erga B. Virginem* MARIAM.

§. 2. *Quomodo eadem Virgo dicatur esse* Dioptra Dei *respectu Electorum.*

§. 3. *Quas maximè virtutes in nobis requirat Deus per hanc* Dioptram.

Quàm cæca est Idololatria, tam cæci Gentiles, qui in Idolis sive ex ligno & lapide, sive auro argentoque fabrefactis, cæca numina adorant & colunt. Eos perstringit Regius Vates cum ait : *Simulacra gentium argentum & aurum; opera manuum hominum. Oculos habent & non videbunt.* Alia est summi æternique Numinis natura & perfectio, cui essentialiter competit omnia prospicere & ab æterno prævidere. Hinc antiqui Sapientes per oculum patentem, Dei naturam ac providentiam adumbratam esse docuerunt. Theologi verò apud quos veritas clarius ex fide patet, ita dicunt à Deo omnia prævideri ab æterno, vt nulla sit in cœlo creatura, aut futura sit aliquando, quæ à Deo non fuerit ante prævisa & prædestinata ad cælestem illam gloriam. Sed hîc

Psal. 113.

specialiter

ſpecialiter de prævifione Dei activa in ordine ad MARIAM, ejuſque praeelectione nobis eſt ſermo, quare ſit.

§. I. *Quæ fuerit viſio Dei activa, & quàm excellens erga B. Virginem* MARIAM.

CErtum eſt ex communi Theologorum ſententia, quamvis inter Electos & prędeſtinatos à Deo nullus ſtatuatur ordo: tamen B. Virginem Dei Matrem, ſtatim poſt Chriſtum Filium, ante omnem puram creaturam fuiſſe à Deo prævifam & prædeſtinatam. Hæc veritas præterquam plurimis Scripturæ locis; SS. etiam Patrum ac Theologorum rationibus ſtabilitur. Ac primò inſignis eſt locus Salomonis vbi in perſona Sapientiæ creatæ, quæ myſticè B. Virginem exhibet, ſic loquitur. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.* Quæ verba Septuaginta ſic vertunt. *Dominus creavit me in initium viarum ſuarum ad opera.* Quia non aliter ante omnia Dei opera vel poſſeſſa vel creata Virgo dici poteſt, niſi quatenus in decretis, ac prædefinitionibus divinis ante alios omnes prævifa & prædefinita fuit. Vnde ex hac 70 Interpretatione ſenſus eſt: *Dominus creavit me initium viarum ſuarum ad opera ſua:* id eſt, Dominus in decretorum ſuorum ac prædefinitionum ſerie, quibus Sanctos ad gratiam & gloriam deſtinat, mihi & per me cœpit reſtaurare ac reficere opera ſua. Ita quoque Siracides. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.* id eſt, ad hoc in mente Dei extiti ante omnes creaturas, & electa ad matris dignitatem.

Suarez in 3. part. q. 27. diſp. 1. ſect. 3.

Prov. 8.

Eccli. 24.

Accedunt argumenta & rationes SS. Patrum. S. Damaſcenus ob iſtam prævifionem & præelectionem ante

Orat. 1. de Nat. Virg.

omnes

omnes puras creaturas, vocat B. Virginem *Naturæ*
Ser. de Nat. Virg. *nostræ Reginam, & massæ nostræ primitias.* B. Petrus
Damianus, *Hæc beatissima Virgo*, inquit, *ante constitutionem mundi, in consilio æternæ Sapientiæ electa est &*
Ser. de B. Maria. *præelecta.* S. Bernardus. *Hæc* MARIA *à natura est reverenter conservata, à lege diligenter venerata, & à gratia clementer est præelecta.* Hanc Deiparæ præelectionem venustè adumbravit Maria Soror Moysis; cum inter reliquas fœminas, quæ rubri maris vndas evaserant, præibat & præcinebat chorum ducens. De qua elegan-
Ser. 146. Exod. 15. ter D. Chrysologus ad illa verba scripturæ: *Sumpsit ergo Maria Soror Moysis tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino gloriosè &c.* vbi subjungit Chrysologus: *Ut* MARIA *semper humanæ prævia salutis, populum quem vndis regeneratrix emisit in lucem, ipsa jure præcessit in Cantico.* Non
Ser. 2. de Virg. Maria. possum hîc ratiocinationem D. Bonaventuræ omittere, quâ ostenditur quàm fuerit excellens, & gloriosa Dei prævisio & præelectio in ordine ad MARIAM. Sic enim argumentando procedit. Deus seipsum contemplatur ante alia omnia & diligit, quia omnium Entium perfectissimum est: ergo cum ejus visio & contemplatio à semetipso ad creaturas transit, ea priùs quæ post ipsum sunt digniora & perfectiora eo ordine cognoscere & cõtemplari debet, quo se invicem dignitate & perfectione vincunt. Et videtur hujus rei probatio a rebus corporis peti posse. Accedit aliquis ad vrbem, vbi plura & magnifica palatia exstructa sunt, turres quoque præaltæ: certum est quod quę altiora sunt, ea priùs oculos ferient. Ita B. Virgo, quæ omnium post Deum altissima & perfectissima est, priùs æternæ menti spectabilem se præbeat necesse est.

Adduci-

Adducitur & huc S. Auguſtinus, cum agit de cognitione Dei matutina & veſpertina. Matutina viſio & cognitio eſt ea quâ Deus ſeipſum videt & cognoſcit: veſpertina verò quâ creaturas contemplatur: Iam autem ſicut eſt aliquid medium inter diem & noctem, vt inquit Philo Iudæus, ſcilicet veſper: Ita Deus antequam creaturas prævidit, quæ per noctem repræſentantur in MARIA incurrit, tanquam in aliquid prævium: putà eam ſtellam, quam Poëtæ matutino tempore Luciferum vocant, juxta illud Ovidij.

Prævius Auroræ Lucifer ortus erat.

Veſpertino autem tempore Heſperum, vt habet Virgilius in Eclogis.

Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

Certè præviſio Dei in Virginem, vt Solis æterni, ſcitè expreſſa eſt Symbolo Lilij ad radios Solares ſeſe explicantis cum omni decore ſuo: adjuncta hac Epigraphe: *Quia reſpexit.* Simili modo MARIA, ſi quis ejus merita, privilegia, ſanctitatem, & excellentias attendat; non aliunde iſta proveniunt, niſi à viſione & præelectione Dei activa in illam: cui & ipſa Epigraphem hanc adſcribere poteſt, in ſuo Cantico ſolemni contentam: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Atque hæc viſionis Marianæ à Deo, ante omnes puras creaturas dignitas & excellentia: non modò laudibus ac triumphis ejus inſeruit; ſed etiam hominum vtilitati. Æquum enim erat vt præviſa Matre, nullatenus infæcunda, Filij etiam apparerent; & in præelecta, pariter Electi omnes ad gloriam, æternamque fælicitatem à Deo cernerentur. Quod ſequenti Paragrapho enucleatiùs oſtendo.

§. 2. *Quomodo B. Virgo dicatur Dioptra Dei respectu Electorum.*

AD præſens *Elogium* propiùs accedo: quare videndum primò ad totius rei elucidationum quid ſit *Dioptra*, & ad quem finem Aſtrologi illâ vti ſoleant. Dico ergo Dioptram eam eſſe Aſtrolabij partem, quam Arabes vocant *Albidada*, per quam perfectiùs rerum magnitudinem, diſtantiam, ſublimitatem, & intervalla ſpeculantur admirabili certitudine. Vnde per *Dioptram*, nunc vulgò aut *perſpectivam*, aut ſpeciem quamdam tubi optici intelligimus. Liceat ergo nobis cum B. Andrea Ieroſolymitano, ſive Cretenſi dicere MARIAM in Dei cognitione reſpectu Electorum *Dioptræ* cujuſdam rationem habere: propterea quod per ipſam priùs viſam ab æternò alias creaturas rationales intuens, earum magnitudinem ac merita, & ad gloriam deſtinationem
S. Luc. c. 1. Deus cognoſcit. Attende ſi placet quid S Lucas Evangeliſta memoret, de S. Ioanne Præcurſore Chriſti adhuc infante, & vnde ejus magnitudinem conjectet;
Matth. c. 11. *Quis putas puer iſte erit? quid exiſtis in deſertum videre?* inquit Chriſtus ipſe; *Prophetam?* etiam dico vobis & *pluſquam Prophetam.* Addo & illud: *Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta.* An quia fortaſſe de eo S. Lucas narrat: *Manus Domini erat cum illo.* Sit ita: audebo addere: *Manus Dominæ erat cum illo.* Siquidem antequam natus exultavit infans in vtero ad MARIÆ ſalutationem. Excipitur virgineis vlnis, portatur brachijs, complexu fovetur. Ipſe candidatus in vtero, & ſanctificatus incipit Chriſtum & MARIAM ſalutare: Sodalis efficitur, amicus non modò Sponſi, ſed & Sponſæ.

Sponsæ. Et quis Ioannem contemplans per hanc *Dioptram* MARIANAM, non ejus magnitudinem agnoſcat & prædicet. *Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta.* Quid ſi mihi Thomam Aquinatem dederis? Licétne illum per *Dioptram* MARIÆ contemplari? ſi licet, & de magnitudine meritorum ejus ac ſanctitatis non dubitabo. Fuit in eo adhuc infante ſenſus ſupra ætatem in MARIAM: per illam Deus Thomam aſpiciens deſtinat ad magna. Audiamus quid de eo canat Vates Marianus. *De cultu Deip. lib. 1. n. 6.*

Parvus erat, magnos inter numerandus Aquinas
Portabat majus corpore mater onus.
Fors digitis chartam verſabat: ſiſtra tenentur
Non tenera infantum fortiùs ulla manu.
Nec ſatis eſt tenuiſſe manu, dedit oſcula chartæ:
Oſcula per longas preſſa, repreſſa moras.
Viderat hoc nutrix, chartamqúe avellit ab ore:
Flet puer, Angelicum charta ferebat Ave.
Pollice nequidquam madidi ſiccantur ocelli:
Nequidquam arridens brachia tendit anus.
Dic mihi formoſi, cuſtos formoſe, puelli:
Quantus in exiguo corpore planctus ineſt?
Ora gemunt totum doctura fideliter orbem;
Singultus pueri publica damna movent.
Cerne genas molles; lacrymis manantibus udæ,
Expleſſent magni crimina magna rei.
Hæc Genium moviſſe reor: nutricis in aurem
Subdidit occulto talia verba ſono:
Quod facis, hoc fruſtra eſt: chartam redhibeto, ſilebit:
Quas fundit lacrymas illa dat, illa rapit.
Reddiderat, preſſis ſubitò vagitibus infans
Conticet, & fletus combibit ore ſuos.

Dic agedum (nec enim temerè percunctor) Aquina,
Vt premeres chartam, quæ tibi causa fuit?
Accessisse tibi primis velociùs annis,
Et niveos mores, ingeniumqúe putem.
Ter madidis pressisse labris, liquisse papillam
Diceris: in charta plus tibi lactis erat.
Quin etiam flendi rursum ne causa rediret,
Visceribus dicunt occuluisse tuis.

Ergo ex hac *Dioptra* Virginis licet Iustorum & Electorum magnitudinem agnoscere. Addo ego & distantia dignosci. Pleraque sunt in Iustis peccata, quæ à Deo longinquos nos esse cogunt: hæc tamen distantia, hæc *Dioptra* efficit, vt redire ad veniã, Deiq́ amicitiam possint, si in eis affectus aliquis in MARIAM depræhendatur. Celebris est gratia divinitus facta Marlanio cuidam Adolescenti, quam refert Fisenius noster ex Cæsario. Nobilis is erat, non procul à Floreffia, qui levitate juvenili redactus ad incitas, nefaria famuli sui oratione eò impulsus est, vt spe recuperandæ sortis pristinæ, ejurata Numini fide, in Dæmonis clientelam se transcriberet. Negavit Dæmon satis id esse, nisi spes suas omnes à Dei Matre avocaret. Cohorruit ad hanc legem adolescens, & perditissimo famulo frustra instigante ne quod minus erat, refugeret, post quam non adeò gravatè majus crimen fuerat ausus: constanter affirmavit, gratiùs futurum vitam in summa paupertate transigere, quàm abjicere tam impiè parentem optimam. Quare sylvâ pedem effert primo jam diluculo: nam in sylvam intempesta nocte fuerat abductus; quia scilicet vix vlla nemorum, montium, noctisq́ue abdita sufficiunt impietati. Abibat mœstus, videt ædiculam, ingreditur; & ecce in ara conspicit imaginem ejus, cui tam

In Floribus Eccles. Leod.

Cæsarius l. 2. cap. 12.

tam constanter adhæserat, & quasi conspectâ Cynosura in viam se reducere desiderat. Ergo in terram supplex se abjicit; & qui in Dei conspectum se dare non audebat, ejus parentem MARIAM sensit longè pijssimam. Suis enim oculis videt, auditque auribus illam in altari pro se supplicantem: sed puerum IESVM, qui Matris brachio gestabatur, ne responso quidem primùm dignantem, sed avertentem oculos. Cumque pergeret Mater, averso toto corpore Filium audit dicentem: Perfidè me deseruit, quâ dignus est gratiâ? Tum Mater Filium in ara collocat, & illius advoluta pedibus: Fili, inquit, hoc mihi da, vt peccatum hoc illi dimittatur; non me deseruit. Audijt Filius, & adolescentem per hanc *Dioptram* respiciens, nihil se negare posse Matri professus est. Quid plura? ad eandem fortè devenerat ædiculam vir Nobilis, cui sua omnia vendiderat adolescens: audit oque ejus ejulatu, ratus peragi Missæ Sacrificium intravit. Verùm vt adolescentem agnovit vberrimis lacrymis preces fundentem, ex abdito placuit eventum rei clam explorare. His ergo quæ diximus obstupefactum prodigijs, abeuntem adolescentem secutus, cum factum hic dissimulare vellet: nullis, inquit ille, ambagibus hîc opus esse: rem teneo. Vnica mihi est filia hæres ex asse: hanc si placet conjugem accipe: te mihi generum cupio. Assensus est adolescens, vivebatque cum conjuge futurus hæres soceri, quando posteris hanc Historiam scribebat Cæsarius.

Porrò de salute ac perseverantia cujuscunque actum esse videtur, si Deus hunc per istam *Dioptram* non aspexerit. Accidit aliàs cum B. Borgia Societatis IESV Provincialis per Hispaniam Domum Probationis visitaret, vt deprçhenderit duos è Novitijs nullo particulari affectu

Imago 1. Sac. Soc. Iesu lib. 1. cap. 5.

affectu & cultu ferri in B. Virginem: monuit ergo Rectorem, vt ijs invigilaret sedulò; vereri se non parum de eorum constantia in vocatione, eò quod nihil particularis affectus & pietatis erga Deiparam animadvertisset: & revera defecerunt ambo; quippe per hanc *Dioptram* non nisi Electi à Deo spectantur.

Addo Electorum crimina, non ita reprobationi finali obnoxia, si per MARIÆ *Dioptram* divinis oculis pateant: Fertur Nero Imperator gladiatorijs certaminibus ac ludis cruentis affici solitus; vt humanum sanguinem ex vulneribus fusum blandiùs spectaret, per smaragdum lapidem, qui virorem objectis quibuslibet veluti aspergit, ea spectacula vsurpare assuetus. Ita minùs offendunt Dei oculos peccata, in ijs in quibus Matris suæ amorem & cultum depræhendit. Ante exemplum dedi in adolescente: nunc aliud statuo in fœmina, de qua narrat Vincentius Belluacensis, quod hîc breviter statuo. Erat hæc fœmina à junioribus annis turpis peccati rea, quod præ pudore inter confitendum subticebat. Moritur ergo tanti criminis inpœnitens: cæterùm in Deiparam mirè & piè affecta. Quid hac morte infelicius? Egressam è corpore animam circunstant phalanges Dæmonum nigerrimæ, suam esse clamantium, & ad inferna supplicia raptantium. Sed ecce splendida & benefica occurrit Virgo: nigros illos atque infernales satellites procul abire cogit: jubetque ex filij beneplacito, vt anima defunctæ revertatur ad corpus, & peccatum quod in confessione semper celaverat, apud Sacerdotem deponat, æternùm victura & cœlis adscribenda. Quod ita factum est: adeoque verum habetur per hanc MARIÆ *Dioptram* magnitudinem meritorum in Electis à Deo certò prævideri; atque hinc oriri Iustorum omnium prædestina-

In Spec. lib. 1. cap. 117.

deſtinationem ad gloriam; juxta illud Siracidis: *in Electis meis mitte radices.* Eccli. c. 24.

§ 3. *Quas virtutes maximè in nobis requirat Deus per hanc* Dioptram.

QVamquam nulla ſit virtus, quæ Deo ac Supremo Numini non placeat; eas tamen libentiùs ſpectat, quæ Matrem ejus ſanctiſſimam exornarunt: cum ad Maternitatem Divinam electa & ſalutata ab Archangelo in Ancillam humillimam ſe obtulit, voluntati Divinæ ad omnia perfectè ſeſe reſignans. Prima ergo harum virtutum quæ ſpectanda occurrit, eſt puritatis & caſtitatis ſingularis amor, quo factum eſt vt virginitatis vexillum, prima omnium Virginum ac mulierum erexerit ac protulerit. Nam quis caſtiſſimam ejus mentem & affectum non admiretur ex colloquio Archangeli? proponitur illi à Divino Legato Gabriele Deifica maternitas: quid eâ obſecro aut dignius, aut ſplendidius; deniquè aut majus eſſe poteſt? Tamen de hoc angitur & dubitat, pudicitiam illibatam, quam voto ſanxerat, Maternitati Dei præfert, adeoque reſpondet: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* Quę verba attendens Richardus à S. Lau. conſiderat non ante ſolutum oris ſilentium, quo Virgo ceu vallo quodam ſe tuebatur adverſus ſalutationis inſolita præconia & honores. *Vbi*, inquit, *in promiſſione Filij manifeſtum patuit Virginitatis periculum, vltra non potuit diſſimulare, quin diceret: quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* Quo exemplo docuit Virginum verba caſtimonię famulari debere. Quod ſi verba, quæ matrimonium & carnis ſocietatem redolent, vitanda ſunt Virginibus; quantò Lib. 1. de Laud. Virg. c. 6.

tò magis aſpectus virorum & converſatio? Videre & videri etiam periculoſum eſt Caſtitati. Quocirca S. Hieronymus ad Demetriadem ſcribens, ita monet. *Eſto aviæ matriq́ue ſubjecta: nullum virorum & maximè Iuvenum, niſi cum illis videas. Nullum ſcias, quem illæ neſciant.* Idemq́ue Euſtochium inſtruens de cuſtodia Virginitatis hortatur ne facilè in publicum prodeat, & virorum incurrat oculos. *Cavè*, inquit, *ne ad te præteruntium turba conſiſtat, & digito monſtreris. Frater eſt mortuus; Sororis eſt corpuſculum deducendum. Cave ne dum hæc ſæpius facis, ipſa moriaris.* Vt aves apertis oculis, ſic homines clauſis laqueos evadunt.

Altera virtus eſt reſignatio ad omnem Dei nutum cum inſigni humilitate, hiſce MARIÆ verbis expreſſa:
Luc. 1. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quæ verba enucleatiùs explicabuntur ad illud Elogium *Ancilla Domini* Cæterùm hîc adverto non poſſe abſcondi divinis oculis Humilitatem animi, vbicunque reſede-
Pſal. 30. rit. Notatu dignum eſt quod dicit Pſalmiſta Regius: *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ.* Abſconduntur ti-
Vide Baëza tom. 2. mentes: Qui enim nihil timet, non habet vnde abſcondatur: ſed vide quales abſconſiones, quales latebras quærunt piè & humiliter Deum timentes? nimirum ipſam Dei faciem, quia ſciunt humilitatem nunquam à Dei conſpectu & oculis repelli poſſe: imò fiduciam habere, vt ante Deum ſpectandam ſe ſtatuat. De Cananæa
Matth. 17. pro filia ſupplicante dicebant Apoſtoli ad IESVM: *Di-*
Ser. 7. Diverſis. *mitte illam, quia clamat poſt nos.* Ad quæ verba D. Chryſoſt. *Dimitte illam, quia clamat ante nos; vtrumque enim faciebat*, inquit: *priùs à tergo clamabat: poſtquam autem ei nihil reſpondit Chriſtus: à fronte venit clamans, miſerere mei.* Vnde colligimus humilitatem non tantùm

à Deo

à Deo conſpici ; ſed etiam allicere divinos oculos ad
videndum, & obtinendum omne quod petitur.

Tertia virtus eſt promptitudo in operibus charitatis.
Vix enim cæleſtis Legatus diſceſſerat à Virgine, myſte-
rio peracto : cum *ſtatim exurgens* MARIA *abijt in mon-* Luc. 1.
tana cum feſtinatione, & ſalutavit Elizabeth. Currit
Sponſus, feſtinat Sponſa : quidni & nos curramus, ſi
charitas in nobis eſt? *Lãpades ejus, Lampades ignis atque* Cant. 8.
flammarum. Vel vt vertunt 70. Περίπτερα αὐτῆς, περίπτερα
πυρός. *Alæ ejus, alæ ignis.* Et tales à Deo, qui ignis
conſumens eſt, per hanc MARIÆ *Dioptram* ſpectantur,
quicunque Mariani & Electi ſunt. Vtinam in Congrega-
tionibus, quæ Virginis tanquam domicilia & familiæ
ſunt, inveniatur ea promptitudo; quæ in domo Iuſti ap-
parere aſſerit D. Ambroſius. Cum enim diverten-
tes Angelos ad domum Abrahami conſiderat ; vt eos
convivio extemporaneo exciperet, ad illa Geneſis ver- Gen. 18.
ba: *Feſtinavit Abraham ad tabernaculum ad Saram,
dixitque ei: Accelera, tria ſata farinæ commiſce, & fac
ſubcinericios panes : Ipſe verò ad armentum cucurrit, &
tulit vitulum tenerrimum & optimum; deditque puero,
qui feſtinavit & coxit illum.* Vbi ſic concludit: *Abra-
ham currit, vxor accelerat, puer feſtinat. In domo Juſti
nullus piger.* Quidni eandem promptitudinem in So-
dalitatibus eſſe oporteat, vbi domus eſt MARIÆ; Iu-
ſtorum omnium poſt Chriſtum anteſignanæ? Et verò
eam agnoſcere videor apud Salomonem, vbi mulie- Prov. 31.
rem fortem & induſtriam deſcribens, atque ſub ejus
vmbra Beatiſſimam Virginem, ait: antelucanis horis
eam ſurgere, neque extingui per noctem lucernam
ejus : omnes domeſticos ejus pervigiles & antelucanos:
operibus ſemper intentos; ſiquidem & ipſa, *Panem otio-*

 ſa

Prov. 22. *ſa non comedit*. Denique notum eſt illud Sapientis: *Vidiſti hominem velocem in opere ſuo: coram Regibus ſtabit.* id eſt, inter Primates & Nobiles, qui regni negotia tractant cum laude & vtilitate populi.

Ita nos, precor, Deus aſpiciat. Mollitur ejus aſpectus in peccatores, vbi MARIÆ, obſequiū ac devotio intercurrit. *Dioptra* eſt, vti ſupra memoravi, tanquam ſpecularis ſmaragdus Neroni ad gladiatoria cruentaque ſpectacula
Cap. 2. blandiùs ſpectanda. Notarunt aliqui apud D. Ioannem, vbi Chriſtus narratur ejeciſſe vendentes & ementes de templo: leniùs exceptos fuiſſe, qui columbas vendebant, quàm qui oves & boves: propterea quod in columbis, aut Spiritum Sanctum, aut MARIÆ figuram adumbratam agnoſceret. Ita ergo nobis fave, Æternum Numen, Deus Optime Maxime; & per *Dioptram* hanc, quamquam multorum criminum reos, majoribus obnoxios, ita nos reſpice; vt fortunata iſta tua viſione, MARIÆ quoque beneficio, Electorum albo per te adſcribi mereamur. Amen.

LITERA

E.

EXEMPLAR MORVM.

Aſpice & fac ſecundum Exemplar. Exod. 25.

AD fabricam Arcæ teſtamenti ſive Fœderis, hæc verba pertinent; quibus jubetur Moïſes Arcam exigere

exigere juxta Exemplar, quod illi à Deo monstratum fruerat in monte Sinaï. Plerique Patres hæc verba Deiparæ adaptant, eandem Arcæ Fœderis comparantes, vti suo loco ostendemus. Insisto hîc, vt *Exemplar morum* esse probem: quo Elogio eam insigniunt SS. Patres Ambrosius, Chrysologus, Fulgentius, Bonaventura: additque Simon de Cassia *Exemplar esse primi Exemplaris.* Vt hîc cum laude Virginis mores instruam, ostenditur;

§. 1. *Quanti momenti sit Exemplar perfectum ad formandos mores.*

§. 2. *Quod B. Virgo sit perfectissimum Exemplar omnium Virtutum, & morum.*

§. 3. *Quod perfectio Christiani consistat in expressione hujus Exemplaris.*

Ex doctrina Platonica de ideis, ita illas in omni agente naturali admittere oportet, vt in brutis quoque phantasia, earum locum supplere videatur. Certè agentia rationalia ideas & Exemplaria sic sequuntur, sivè interna, sive externa, vt sine illis nihil agant. Quinimo ideas rerum faciendarum ac possibilum, in primo ac perfectissimo agente Deo agnoscunt Theologi. Quare ostendendum nobis est.

§. 1. *Quanti momenti sit Exemplar perfectum ad formandos mores.*

QVanta vis & momentum Exemplaribus insit ad formandos aut depravandos mores, ipsa quoque natura proludit in brutis, quibus objecta aliquid phantasijs imprimunt, quod postea exprimant in fœtibus.

Cap. 30. Sic Iacob Patriarcha vt habetur in Geneſi, opponens ovibus decorticatas & variegatas virgas, effecit vt maculoſos fœtus gignerent. Et Galenus in libro quem ſcripſit de theriaca in Piſonem, narrat mulierem quamdam intuitu picturæ pulcherrimæ, pulchrum infantem ex deformi marito concepiſſe. *Viſu*, inquit, *opinor naturæ imaginem tranſmittente.* Exhinc colligi poteſt quid Exemplaris creber intuitus poſſit in animum moreſque formandos. De quo Scribanius eruditè monet: *Elige*, inquit, *optimos quorum conſuetudine & aſpectu virtutis aliquid accedat, vitij decedat. Nulla enim res magis animos ad bonum pravumque impellit, revocatque, quàm proborum, improborumque Exemplar & converſatio. Paulatim enim mores deſcendunt, & vim præceptorum obtinent: frequenter enim videri, audiri aliquid affricant; vnde ſenſim in amici & contubernalis mores tranſit; & in ſeſe alterum exprimit.* S. Chryſoſtomus agens de numero ſalvandorum quærit: *quot putatis ex hac civitate ſalvi fient?* Poſtquam numerum ad centenarium reduxiſſet, ne quis fortè inſolentiâ dicti moveretur: addit: *Quæ in juvenibus luxuria? quis in ſenibus torpor? Filij curam habet nemo, nemo zelum habet, vt peccantem videns, corrigere audeat*: poſtremò ſubdit vnde generalem morum depravationem colligamus: *Exemplaria virtutis in hac vrbe extincta ſunt.* Quæ certè Baſilius Seleucienſis *promptuaria quædam virtutis* eſſe dicebat. Ad hæc Philo Iudæus de pijs Abrahæ Exemplis & actionibus diſſerens, *Leges eas vocat Exemplares, animatas, rationabiles.* Felix illa domus, vbi à parentibus præbetur filijs ac domeſticis Exemplar bonæ vitæ: fit enim eo pacto vt in ea familia impreſſus quidam character Sanctimoniæ permaneat, vt ſcribit Baſilius Seleucienſis tractans

Margin notes: In Politico Chriſtiano. — Hom. ad pop. — Lib. 2. de Abraham. — Orat. 14.

ctans de Abelo: *Primum*, inquit, *natura justum hunc genuit, nec silentio pressit: sed contra res Abelis dilucidè deprædicavit, quemdam per eum characterem posteritati delineans.* Character Theologico idiomatè indelebile privilegium est, in ævum perdurans: sic virtus à bono Exemplari parta & effecta diuturnior est, vtpote altè impressa, non à lingua, sed ab opere. *Vide Cela da in Iudith.*

Cæterùm advertendum est plus in mores posse, sive vitiandos, sive corrigendos Exemplar à principibus ac regibus haustum: eò vsque vt scriptum legamus *Virtutis subinde loco esse, purpurata flagitia*: nec dæmonem majus nocumentum hominibus intulisse, inquit Iulius Firmicus, quàm Deos proposuisse omnium quasi scelerum authores & antesignanos: *Adulterio delectatur aliquis, Iovem respicit, & inde cupiditatis suæ fomenta conquirit: probat, imitatur, & laudat quod Deus suus in cygno fallit, in Tauro rapit, ludit in Satyro.* Contra quando virtus à Magnis expressa prodit in publicum, tanquam Exemplar, nullus efficacior stimulus ad omnem vitæ honestatem esse potest. *De errore prof. Relig.*

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Vnde scitè Velleius: *Facere rectè cives suos princeps optimus faciendo docet: cumquè sit imperio maximus, Exemplo major est.*

§. 2. *Quod B. Virgo perfectissimum fuerit* Exemplar morum.

TAlem nobis exhibet S. Ambrosius accuratis & luculentissimis verbis, Virgines alloquens: *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaquè* MARIÆ, *in qua refulget species castitatis & forma virtutis.* *Lib. 2. de Instruct. Virg.*

At obsecro quæ virtus ab isto perfectissimo morum *Exemplari* mutuari non potest? prosequitur idem Auctor: *Quantæ in vna Virgine species virtutum emicant? secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium. Virgo intra domum, comes ad ministerium, Mater ad templum. Quid exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam? Alterum supra naturam superfuisse, alterum, pæne ipsi naturæ defuisse. Illic nulla intermissa tempora, hîc congeminatos jejunio dies: & si aliquando reficiendi successit voluntas. Cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delitias ministraret. Dormire non priùs cupiditas; quàm necessitas fuit: & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus.*

Et ne quis in hoc perfectissimo morum Exemplari quidpiam aliud desideret, pergit ad sequentia. *Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: Intenta operi, verecunda sermone: arbitrum mentis non hominem, sed Deum quærere. Nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: vt ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis figura probitatis. Hinc igitur sumatis licet exempla vivendi, vbi tanquam in Exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere*

nere debeatis oſtendunt. Hactenus S. Ambroſius & fusè ſatis. Expendo vltima verba, quod ſcilicet oſtendat B. Virgo *tanquam in Exemplari quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis.*

Ac primum linguæ lapſus ac petulantiam corrigere debet MARIANVS Cliens. Pauca in Sacris Evangelijs præter Canticum *Magnificat*, locutam fuiſſe B. Virginem cõperimus. At quàm multa in nobis circa linguam & ſermonem corrigenda & conſtringenda quotidie? Lingua habitat in lubrico: facilè elabitur, nunc ad ſpurca, nunc ad falſa, perjuria, maledica: corrigenda eſt inquam, & conſtringenda, adeoq́ue reducenda ad Exemplar MARIÆ, de qua dicitur in Canticis. *Sicut vitta coccinea labia tua.* At quæ ibi labiorum pulchritudo, quæ potiùs roſæ & corallio comparanda erant? verè *Sicut vitta coccinea labia* Deiparæ· quod prudentia & charitate ſermones ſuos conſtringeret, ne inaniter laberentur: aut quempiam læderent, ſicut vitta capillos & crines. Cap. 4.

Alterum eſt *quid effugere debeat Chriſtianus* nempe ab Exemplari Mariano diſcet: nimirum, vel vmbram peccati. Ita MARIA fugit peccatum vt ne vmbra quidem peccati originalis ad eam pervenerit. Hinc aptè in ſponſa Salomonica, quæ B. Virginem adumbrat, Colũbæ comparatur: *Vna eſt Columba mea:* quæ lacus & fluenta amat, vt idem Salomon memorat, quò vel vmbram accipitris advolantis ſpeculetur, & ſtatim fugiat. Fuge & tu, MARIANE Sodalis, quaſcunque peccati occaſiones, vmbra eſt; Exemplari te apta & compone. Cant. 6.

Tertium eſt, *Quid tenere debeatis: teneamus*, inquit, Apoſtolus Paulus, *confeſſionem*: Quid illa confeſſio, niſi profeſſio fidei & legis Evangelicæ, juxta Exemplar, moribus & vitæ inſtituto retinenda? *Tene quod habes*, Ad Hebr. cap 4.

vt

Apoc. 3. *vt nemo accipiat coronam tuam*, inquit S. Ioannes: ſpem ſcilicet gloriæ, bonis operibus comparatam; ſed manu conſtantiæ ac perſeverantiæ firmiſſima.

Et hæc quidem ſi attenta conſideratione diſpiceat aliquis, quænam fuerit MARIA in vita & moribus: addo depictam MARIÆ Virginis Imaginem ſolo ipſo aſpectũ, occultam vim habere ad imitationem, vivi Exemplaris. Quidni metricè juvet audire, quod Paulus Iovius ſcribit de Franciſco Sforcia Mediolanenſium Duce fortiſſimo?

De cultu Deip. lib. 2. n. 8.

Sforciadæ memini: partis minor ille triumphis,
Fœmineo victus ſub pede victor erat.
Nempe puella ducem quantumvis capta tenebat,
Infelix magni præda futura proci.
Quid faciat? pugnet? vincetur viribus impar.
Exeat? obductis oſtia clauſa ſeris.
Neu fugeret, manibus captam tenet ille puellam:
Tunc, ô Sforciade, quàm malè fortis eras!
Pars quota laudis erit, ſi quas rubuiſſe decebat,
Strage lupi, ad fortes concidat agna manus?
Nil agimus: cæco præcordia carpitur igni:
Quamqúe procul Numen, tam prope crimen habet.
Dum ſic pugnatur: Divæ proſtabat Imago;
Vltima quaſſatæ fortè tabella ratis.
Dicitur hanc ſupplex oculo lacrymante puella,
Et deplorata ſic adiiſſe prece.
O bona, ſi quando (ſummâ pugnamus arenâ)
Eſto mei cuſtos fida pudoris, ait.
Quod potui feci, ne per me fiat adulter:
Vlterius noſtræ nil potuêre manus.
Audijt: audieratqúe procus, cum lumina flectens,
Aſpicit in patulo Virginis ora loco.

Hæſit

Hæsit in aspectu: juvit spectasse Mariam;
Ceu gelido tactum frigore pectus erat.
Nec tamen obriguit victæ clementia linguæ.
Ito, ait, i, quò te casta Maria vocat.
Pœnitet admissi: servati cura pudoris,
Fac pondus culpæ detrahat illa meæ.

Ecce quomodo nudi ipsius Exemplaris MARIANI aspectus, vim suam exerat, & ad castimoniæ servandæ curam imitatione provocet: de quo erit alibi dicendi opportunior locus.

§. 3. *Quod perfectio & felicitas Christiana consistat in imitatione hujus Exemplaris.*

IMitatores mei estote, sicut & ego Christi: inquiebat olim Apostolus Paulus, adhortans Corinthios ad perfectionem ac felicitatem Christianam. Quippe quantò quis proximiùs ad Christum accedit, tantò perfectioni ac felicitati vicinior est. Quod si Paulus ausus est dicere: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:* ampliori ratione hoc Deipara, dicere potest, quod ejus Exemplar ad Christi perfectionem proximè & efficaciter nos ducat. Et verò ob hoc inter alia gavisa est B. Virgo, in Dei Matrem se electam, vt nos in Christo, ejus quoque Filij effecti, tantæ Matris vestigia premeremus, sequeremur mores & Exemplar. Hinc in Amoris Cantico trahi solam postulat, vt tamen incedere sola nolit. *Trahe me*, inquit, *post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Sola tracta est cum Dei Mater est facta, sed sola tantæ dignitatis fructu frui noluit: ad alios quoque extendi petijt; & idcirco se simul cum alijs cursuram spondet, in Dei sui sequelam comites habens,

1. Cor. 11.

Cap. 1.

aſpectu & imitatione Exemplaris. Philippus Abbas bonę Spei eleganter hunc locum explicat, & ſic ait: *Ideò fortè Virgo trahi ſe ſingulariter poſtulavit, curſuram verò non ſolam, ſed vnà cum cæteris affirmavit, quia ipſam ſpecialiter eligendo in Matrem Dei Filius ad ſe traxit; ſed ipſa ſibi ſola fructum hujus operis non contraxit. Ex eo enim quod ad prærogativam Matris eſt ſingulariter ſublimata, ſequentibus adoleſcentulis non parva vtilitas eſt collata: dum eamdem imitari dignè Virginem ſtuduerunt, & ad diligendum Sponſum pro ſuo quoque modo concurrerunt*: Præivit vt omnium Exemplar Virgo: noſtrum eſt Matrem ſequi ejus mores exprimere; vt per hoc ſimiles effecti Chriſto perfectionis ac felicitatis Chriſtianæ participes reddamur.

Quid interim ſi in ea imitatione Exemplaris MARIANI adverſa & difficilia occurrunt: MARIA non tantùm ad imitationem manum dirigit, ſed & ſuſtinet. Siquidem cum Pictor operi incumbens in editiore loco ſuper tabulatum Imaginem Deiparæ coloribus exprimeret: dilapſo pegmate, vi occulta dæmonis: tamdiu pictorem ſuum manu ſuſtinuit, donec ſuppoſitis ſcalis facilis ei ad deſcenſum via ſterneretur.

Vinc. Bell. Lib. 7. cap. 104.

Sed premo hîc felicitatem Chriſtiani in imitatione Deiparæ: ſi enim B. Zeno Veronenſis agens de illuſtribus viris, qui exempla Sanctorum ſecuti ſunt, dicat: *Tanta probitate vixerunt, vt pars felicitatis ſit noſſe quid fecerint*. Quid ergo ſi ad Exemplar MARIÆ efformati, conati ſint vivere MARIANIS moribus?

Ser. de Iob.

Vſus fuit primitivæ Eccleſiæ, Fidelibus aliò terrarū proficiſcentibus, litteras teſtimoniales dare, quas *Formatas* appellabant. Quibus inſpectis communia erant Chriſtianorum domicilia & menſę. Et quis *Formatas* tales

les accipit à Virgine, nisi cujus Virtutes MARIANÆ, per imitationem ad mores transiêre? Cur enim *Formatas* non appellem, à *Forma Dei*, Virgine à Fulberto Carnotensi dicta? *Quid ego*, inquit, *pauper ingenio de te dicam, ô* MARIA*? quia quidquid dixero, minor est laus, quàm dignitas tua mereatur. Si cælum te dixero, altior es: si Matrem gentium te vocem, mereris: Si formam Dei te appellem? digna assistis.* Ita nobis contingat. Sed mollienda est cera vt sigilli formam accipiat: ita molliendus animus, vt MARIANÆ & Christianæ felicitatis tesserâ insigniatur. Ita fiat, ô MARIA vt Exemplari tuo similes effecti, agnoscamur à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, cui honor benedictio & gloria in sæcula sæculorum, Amen. *Ser. de Assumpt.*

LITERA

F.

FOEMINA LVCIS.

Divisit lucem à tenebris. Gen. 1.



RVpertus Tuitiensis Abbas per separationem hanc lucis à tenebris Angelos bonos intelligit mystico sensu, divisos à reprobis, qui exuti gratia originali æternis tenebris addicti sunt. Nonnulli hæc verba Deiparæ Virgini accommodant, quæ in gratiæ originalis luce conceptá, à reliquis hominibus & filijs Adæ discreta fuit, qui culpæ originalis caligine

gine obvoluti naſcuntur. Atque hinc meritò B. Virgo *Fœmina lucis*, à S. Clemente Alexandrino appellata eſt: Similis in hoc Iaheli, quæ ex Hebræo, *Fœmina lucis* ſive *fulgorum* dicitur apud Serrarium.

In Lib. Iudit.

§. 1. Quod B. Virgo aptè per lucem ſe exhibet.

§. 2. Quod cultores MARIANI, *eo quod matrizare eos convenit, vt filij lucis vivere debeant.*

§. 3. Antiquus vſus Eccleſiæ honorandi B. Virginem per cereos ac luminaria, & quàm vtilis.

Lib. 1. Hexam. c. 9.

D. Ambroſius egregius lucis encomiaſtes ſolerter advertit, Deum in prima mundi molitione opus ſuum à luce cœpiſſe: *Fiat lux & facta eſt lux.* Quemadmodum enim qui ædificium aliquod dignum habitaculo patris familias ſtruere intendit: antequam fundamenta jaciat, explorat vnde ei lumen infundere poſſit: quippe *Ea prima gratia eſt*, inquit, *quæ ſi deſit tota domus deformior eſt: ſed in cultu lux eſt, quæ reliquos domus commendat ornatus.* Ita Eccleſiam condere volens Chriſtus, lumen quod totam illam ornaret à Matre quæſivit; quæ quanta quanta eſt, lux eſt, & *Fœmina fulgoris*, ſive *lucis.*

§. 1. Quod B. Virgo aptè per lucem ſe exhibet.

IN tenebris totum eum eſſe oportet, qui MARIÆ lucem convenire aut ambigit, aut ignorat. Præcipuæ lucis qualitates in illa emicant, vtpotè pulchritudo, puritas, agilitas, demum vtilitas. Enimverò quid pulchriùs luce, quæ decorem ſua venuſtate & gratia rebus omnibus aſpergit? *Deus*, inquit, S. Ambroſius, *ita lucem dilexit, vt mundum ipſum infuſo lumine, atque ejus*

Ibid.

 ſpeciem

ſpeciem venuſtaret. De quo etiam argumento Tertullianus eleganter & acutè ſic fatur: *Moriente luce funeſtatur mundi honor; omnis ſubſtantia denigratur: ſordent, ſilent, ſtupent cuncta. Vbique juſtitium eſt, quies rerum: ita lux amiſſa lugetur*. Qualitas hæc prima lucis, quæ eſt pulchritudo, MARIÆ aptiſſima eſt, vt canit Salomon: *Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es*. Et Vates. De Reſur. carnis cap. 12. Cant. 4.

Et pulchra eſt, & habet quidquid bene poſſit amari:
Materiem flammæ ſuggerit ipſa ſuæ. De cultu Deip. l. 1.

Sed fuſiùs de pulchritudine MARIÆ, agendum nobis erit aliàs Elogio ſingulari.

Alterum quod in luce reperitur eſt puritas. Adeò enim lux ab omni ſorde immunis eſt, vt per lutum ambulet intacta, ipſiſque in cloacis ſive infectione radiet, ſemper immaculata, ſemper pura. Et verò quod purum eſt cognationem habet cum luce: inſinuare id videtur Deus cum jubet Moiſen formare *Candelabrum ex auro ductili, ac lilia de ipſo procedentia*. Quis iſte nexus liliorum & candelabri, niſi quod lucere alijs poteſt qui purus eſt, non aliter. Vnde priùs dixit Chriſtus commendans miniſtris ſuis vitæ puritatem: *Sint lumbi veſtri præcincti*: deinde addit: *& lucernæ ardentes in manibus veſtris*. Adeò lux puritati affinis eſt. Iam verò quid MARIA Virgine purius inter puras creaturas excogitari poteſt, quæ *& luci comparata invenitur prior*? Nam lucem ſi nihil inficit, impedit tamen corpus opacum, ne in aliquem locum radios tranſmittat: at nihil fuit vnquam in Virgine, quod lucem gratiæ ac Spiritus Sancti arcere poſſet. Exod. 25. Luc. 14. Sap. 7.

Tertium à quo lucis natura commendatur, eſt agilitas: quid enim radio ſolari velocius ac promptius? Concipe vaſtam illam intercapedinem, & diſtantiam ter-

ræ à cœlo: interim emiſſus ab orbe ſolari radius in momento terram attingit: imò & oculum præoccupat, adeò lux amica eſt, & propera ad benefaciendum. Talis eſt quoque MARIA, vt lux ad nos juvandos accurrit celerrimè: & quaſi in eo ſummam ſuam laudem ſtatueret, *obviat invocantibus eam, quaſi Mater honorificata.* Et vt ſupra diximus in Nomine MARIÆ cum D. Anſelmo: *Velocior eſt quandoque ſalus memorato nomine* MARIÆ, *quàm invocato nomine* IESV.

Quarta qualitas lucis eſt vtilitas ſcilicet ad quælibet opera conficienda, in quibus neceſſarius promiſcuè eſt oculus luce adjutus: de quo Philo Iudęus: *Sine luce videre non poſſumus, quia nec colores, nec oculi ad videndum ſufficiunt. Hanc enim ceu vinculum natura præparavit: quo coaptaretur colori oculus; Nam in tenebris neuter ſuam vim exerit.* Hinc apparet vtilitas lucis, quod oculum illuſtret, qui ad opera prope omnia neceſſarius eſt. Vnde bene monet Chriſtus: *Venit nox, in qua nemo poteſt operari.* Scio nocturnum tempus opprimendis hoſtium caſtris opportunum & vtile fuiſſe judicatum, a pluribus ſtrenuiſque ducibus: quod tamen Alexandro Magno nunquam placuit: aſſerere ſolito, non latronem nocturnum ſe eſſe, qui quaſi furto victoriam acquirere vellet. Quàm multa B. Virginis afflati luce operamur ad ſalutem? ſive ad primam vitæ electionem faciendam? ſive ad evitandos cacodæmonis dolos; ſive ad obtinendam in arrepto virtutis ſtudio perſeverantiam in Virginis luce, marteque aperto dimicandum.

Lib. de Sacrificiis Abel & Cain.

Ioan. 9.

Demum vt concludam magnam cum luce ac Deipara Virgine convenientiam eſſe, illud addo: vix vllum Virginis oſtentum ſine luce, eaque amabili factum eſſe: ſi fortè viſionem B. Hermanno factam excipias,

quâ subobscuro & senili vultu apparuit, vt ejus in suo cultu teporem argueret. Habes in Hannonia prope Athum delatam ab Angelis Virginis Tungrensis Imaginem mediâ nocte, sed clarescente cœlo per luminaria. Habes Atrebatensem Divam, quæ cereum adhuc absumi nescium, cœlo in terram detulit. Recentiora sunt quæ subdo miracula. In regno Mexicano ad Imaginem Immaculatæ Conceptionis, quæ ibi celeberrima est, accidit anno 1533. dum loci Vicarius in eo Sacello Missam inchoaret, vt subitus ventorum turbo, lumina Altaris & Sacelli lampades omnes extingueret. Hæret Sacerdos ne sine lumine sacris operetur. Mirùm dictu. Ex radijs quæ Imaginem cingunt instar solis, duo quasi per aërem radij prodire visi sunt, singuli ad singulas candelas; atque in Altari luminibus prodigiosè accensis, sacrum peractum est. Alterum mirabile recentius in Hispania, id est anno 1617. Cum enim Madritum redijt Cursor Regius Diploma Pauli V. referens pro Immaculata Conceptione: simul atque ex equo descendit, lampas nocturnis tantùm horis in medio foro accendi solita, coram Imagine Deiparæ sine macula, clara die sponte ardere cœpit: exiguoque consumpto oleo, quod à præterita nocte supererat, perduravit flamma, aquâ etiam ipsâ, quæ oleo supposita fuerat fomentum ignis suppeditante. Quidni ergo supradicta animo repetentes, dicamus B. Virginem *Fœminam lucis esse & fulgoris*: & qui eam sequitur, non aberrare à via æterna?

Georgius Huart eiusdem loci Pastor.

Ferreolius Locrius.

Neirēberg. in Epist.

Idem Neirēmb.

§. 2. *Quod cultores Mariani, eò quod matrizare eos convenit, Filij lucis esse debeant.*

QVod S. Paulus ad Ephesios scribens, ait: *Vt Filij lucis ambulate*: ad Cultores quoque Marianos pertinere debet. Quid autem illud? *Vt filij lucis ambulate?*

Cap. 5.

late? id est, vivite eo modo, quo decet vivere eos, qui ad lucem Evangelij, & MARIANÆ dilectionis pervenerunt, & inde cognitionem Dei, ac Matris ejus sanctissimæ, divinæque voluntatis ac rerum pro salute æterna agendarum sunt adepti. Facite vt cognitio hæc non sit otiosa, nec in anima sopita deliteat; sed in voluntatem & opera emanet, eaque digna fidei, Sanctitatis & amoris MARIÆ. In genere ergo maximè cavendum Clienti MARIANO ne in operibus tenebrarum involuti jaceant: sive dolis texendis pecuniæ lucro; sive honoribus per ambitum acquirendis; sive præsertim comessationibus & impudicitijs, quæ *opera tenebrarum* appellat D. Paulus.

Sed nobis hîc distinctiùs agendum est de quibus *filius lucis*, sive Cliens MARIANVS sibi providere debet: ea sunt vt idem Apostolus scribit *fructus lucis*, qui consistunt, *In omni Bonitate & Iustitia & Veritate.* Tres virtutes hîc commendantur; primò Bonitas, id est, benignitas & beneficentia. Secundò Iustitia, quam opponit fraudibus, quæ sæpe inter mercatores occurrunt, ditescendi avitos. Tertiò Veritas, quam opponit mendacio & hypocrisi. Quod Cornelius sic explicat, quasi diceret Apostolus. Ex fructibus lucis ostendetis vos esse filios lucis: si videlicet non iracundos, asperos & malignos: sed benignos & beneficos: non fraudulentos, sed justos: non mendaces & hypocritas, sed sinceros & veraces vos exhibeatis. Tales quoque Filij & Clientes MARIÆ esse debent. Quod addit Apostolus, huc etiam pertinet: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum:* id est, nolite commercium habere, aut miscere vos operibus peccatorum, qui quasi tenebriones lucem fugiunt. Hæc enim opera nullum fructum, nisi seram & inutilem

Cornel. in Epist.

inutilem pœnitentiam habent. Non exigua laus eſt lucis, quod nullum habeat cum tenebris commercium: juxta id quod dicitur in Geneſi: *Vidit Deus lucem quod eſſet bona, & diviſit lucem à tenebris: appellavitque lucem diem, & tenebras noctem.* Quare hîc lux quæ bona dicitur, tam citò ſeparatur à tenebris? Reſpondet S. Ambroſius ideò factam eſſe inter lucem & tenebras diſcretionem, *Vt ſeparata lucis natura ac tenebrarum, nihil videatur inter ſe habere confuſum.* Fertur enim maledictio in eos qui lucem cum tenebris commiſcent. *Væ qui dicitis malum bonum & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Moraliter ſæpius recurrit iſta confuſio inter mortales, aut ſpe alicujus lucri, aut neſcio quo illicio voluptatis.

Cap. 1.

Supra.

Iſa. 5. 5.

Porrò illud, *vt filij lucis ambulate*, nonnulli ſic etiam moraliter exponunt, vt ſcilicet habeant ratiocinationem, ceu lucem præviam aut concomitantem. Conſiderationem attentam ac præviam, ſive præambulam lucem in omni re agenda deſiderabat D. Chryſoſtomus, hunc Siracidæ locum explanans: *Agnoſce quod in medio laqueorum pertranſis. Non enim dixit Sapiens, aſpice, ſed agnoſce* οὐ βλέπε, ἀλλ' ἐπίγνωθι. *Quare dixit, agnoſce: quia adumbratus eſt laqueus. Hoc enim laqueus eſt, quod apertè mors non apparet, neque manifeſta clades, ſed obtecta eſt: propterea dixit, agnoſce. Multa tibi opus eſt conſideratione & luce præambula. Sicut enim aucupes terrâ vel herbâ laqueos: ſic diabolus vitæ voluptatibus peccata contexit. Sed agnoſce, perſcrutans diligenter: & ſi bonum occurrerit; non lucrum ſolum aſpicias, ſed ſcrutare diligenter, ne fortaſſis mors & peccatum intra lucrum ſit abſconditum; & ſi videris refuge. Rurſus cum delectatio & voluptas occurrerit, ne voluptatem ſolam*

Eccli. 9.

Hom. 15. ad pop.

respicias; sed ut in voluptatis fundo, iniquitas aliqua fortassis sit obumbrata, diligenter intuere & considera: & si inveneris resilito. Sive consulat quispiam, sive adulletur, sive obsequatur, sive honores polliceatur, sive quodcunque aliud, omnia cum diligentia examinemus, ne forte aliquod malum lateat. Et multi quidem laquei; vnde non dixit juxta laqueos, sed in medio laqueorum Processit quispiam in forum; vidit inimicum & solo aspectu exarsit: vidit amicum honoratum, invidit: Vidit speciosam mulierem & captus est: vidit pauperem & contempsit. Vides quot laqueos ideo dicit: agnosce quod in medio laqueorum pertransis. Et in domo laquei, & in mensa laquei. & in cœtibus laquei, & vbique. Adde quod adumbrati & occulti. Itaque *vt filius lucis ambula*, quicumque MARIAM amos & colis: id est, in omni opere quod aggrederis, adhibe lumen & considerationem, vt latens peccatum tempestivè depræhendas, neque illi vllo modo consentias.

Alterum, in quo filium lucis se probare debet quispiam, est concomitante lumine operari: id est perseverantes in statu gratiæ: eo quod sine illa in nocte sumus ac tenebris & per consequens incapaces fructus æternæ vitæ. Convenit enim ijs id quod dicit Petrus
Luc. 5. Christo *Domine per totam noctem laborantes nihil cepimus*. Quamobrem enitendum est maximè ne gratiam, quæ lux est spiritualis quædam in anima, per peccatum amittamus: cui rei opportunus est recursus ad MARIAM, tanquam ad *Matrem divinæ gratiæ & Fœminam lucis*.

Vltimò notandum est, cœtibus in primis Sodalium & MARIANIS Congregationibus convenire, id quod de luce advertunt Physiologi. Lux enim ita vnionem ambit, vt quacumque proveniat, facillimè cum alia luce

qualibet

qualibet ſeſe vniat: & vnicum efficiat lumen: ſive à cera, ſive à ſevo, ſive ab oleo lux hæc proceſſerit: vnionem amant inter ſe, & corpus vnum efficiunt ad lucendum. Tales vbique ſunt MARIANÆ Congregationes, ad quas conveniunt perſonæ honoratæ & infimæ, Eccleſiaſtici ac Sæculares; qui fulgore vniti, majus lumen conflant ad lucendum Deo ac MARIÆ. Et verò prærogativa quædam eſt lucis, MARIANIS Congregationibus nomen inſcripſiſſe: Siquidem notatu dignum eſt quod habetur in Geneſi. *Dixit Deus, congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt in vnum locum.* Hanc fecit Deus aquarum congregationem & vnionem die tertio; & ſtatim ad opera quarti diei, dicit: *Fiant luminaria in firmamento cæli, &c.* Non ante fiunt luminaria in cœlo: non antea creatur Sol, quàm congregatio aquarum præceſſiſſet. At cur creatio luminarium ſupponit congregationem aquarum factam, niſi quia concordia & vnio ſemper eſt anteambulo lucis? Vnde D. Anaſtaſius Sinaita ait: *Congregetur aqua, quæ ſub cælo eſt, hoc eſt, vniverſa multitudo gentium, quæ ſunt ſub cælo congregentur in congregationem vnam. Congregetur genus humanum, nempe aqua, cui priùs inſidebant tenebræ, veniat & congregetur in lucem.* Quaſi non poſſit fieri, quod vbi vnitas & concordia præceſſit, non ſequatur claritas lucis. Addo quod Congregatio & vnio non ſolùm ſit initium luminis, verum etiam fomentum: vnde ſequitur vt Sodales omnes MARIÆ jure meritiſſimo *Filij lucis* eſſe dicantur, atque vt tales labeantur.

Cap. 1.

Lib. 3. Hexam.

§. 3. *Antiquus vsus Ecclesiæ honorandi B. Virginem per cereos ac luminaria, & quàm vtilis.*

CEreorum vſus ab initio Eccleſiæ Deo Sacer fuit: quippe & candelabrum aureum cum ſeptem lampadibus, à Deo per Moïſem inſtitutum; etiam ad Deiparæ cultum tranſijt. Hinc plurimæ lampades ad Divæ Virginis altaria, coramque Imaginibus ejus ſacris. Eluxerunt in eo claritudinis obſequio tum Inſulenſes ad Divam Cancellatam, tum Arienſes ad Panariam in D. Petri: eamque, cui ab Aria nomen eſt, in ejuſdem templo Parochiali. Siquidem Inſulenſes cooperante Magiſtratus, cum Canonicis animo, cum nova vrbis conſecratio Deiparæ facta eſt, tot arſerunt in ingenti lilio cerei, quot in vrbe tota, plateæ & vici numerantur. Ariæ verò in vtroque templo pluſquàm mille cereis candidis, ad ſeptem gaudiorum dolorumque ſtationes primùm erectas, luſtratum eſt.

Sæpe lucit augurio auxilij MARIANI capta eſt fiducia. Tranſmittenti in Angliam; Guilielmo Comiti Salſburienſi, ſpem vitæ fecit luminis apparitio. Cum enim is Immani freti tempeſtate jactatus, extra ſpem vitæ & naufragio proximus eſſet; ad Virginem vota fudit. Et ecce ſtatim cereus ardens ſupra navis malum, cui adſtabat Virgo, oculis omnium periclitantum alluxit: viſaque eſt B. Virgo ventos, imbreſque compeſcere, ne navis vnaque vectores obruerentur. Cujus beneficij memor Guilielmus Comes, coram MARIÆ Imagine lampadem perpetuam ardere juſſit. A cultu per lucem, nequaquam ejus vtilitas ſejuncta eſt. Scribit Ioannes Moſchus, vixiſſe Eremitam Ioannis nomine, haud procul

In prato ſpirit. c. 80.

cul

cul à ripis Iordanis: qui quoties Ierosymam aut aliò iter haberet: cereum in cellula sua, coram Imagine B. Virnis cellulæ suæ Patronæ, accendere consueverat. Miraculo cereus i le ad plures dies lucidus perstabat: De quo Poëta MARIANVS, redeunte ad specum Eremiticam Ioanne, sic canit: *De cultu Deip. l. 3, n. 3.*

Ah! bellè est, inquit: flammâ tibi ceree fungi
Iam licet: ipse tuas corde subibo vices.
Nec mora, finito languebat cereus igne,
Transibatque senis versus in ossa calor.

Ejusdem argumenti & obsequij à luminaribus B. Virgini accensis, est id quod narrat B. Petrus Damianus de viro Patritio, quem pluribus sceleribus coopertum, eripuit MARIANVS favor ac patrocinium, Divinæ Iustitiæ, quæ in illum armata manu sævire debebat. Nam B. Virgo apparens pauperculæ mulieri oranti pro dicto Patricio defuncto, annuit ejus precibus ac votis; addens quod egentibus pius extitisset, & frequenter oleum Ecclesiæ B. Virginis, ad lucernas fovendas ministrasset. Et verò quæ major hujus obsequij ac pietatis merces esse potest, quàm quod dicit Siracides, nomine Sapientiæ, sive Deiparæ Virginis? *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Quæ quidem verba non modò ad cereos & luminaria spectant; sed ad animum, ingenijque fœtus, ac monumenta, quibus Deiparæ laudes, encomia ac virtutes publico, ac posteritati propalantur. Qui de fulgore vultus Moïsis disputant, aiunt fuisse æternæ gloriæ ac felicitatis augurium. Vnde autem ortum habuit hic splendor? arbitror inquit Methodius, non tantùm à Dei colloquio in monte, verùm etiam quod excellentias Virginis, quæ Messiam Christum erat paritura, didicisset, figuris & ænigmatibus toti terrarum orbi pro- *Epist. l. 3. Epist. 10.* *Eccli. 24.* *Hom. de Purif.*

 mulgan-

mulgandas. Methodij verba hæc ſunt; *Nonne Moïſes ille magnus propter figuras intellectu difficiles, quæ te, Virgo tangebant, diutius in monte commoratus eſt, vt ignota de te Sacramenta edoceretur?* Eſto igitur, ô MARIA *Fœmina lucis*, quia in æternum talis, vti ab initio ſemper fuiſti: atque vtinam vt tui, ſic etiam *Filij lucis* eſſe poſſimus! Averte à nobis opera tenebrarum, ſemitas nequitiæ, vias iniquitatis: vt cogitemus iſtud quoque
Matth. 5. Evangelicum ad nos dirigi: *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona & glorificent Patrem veſtrum*, addo ego & Matrem veſtram, *quæ in cœlis eſt.*

LITERA

G.

GAVDIVM BEATORVM.

Gaudium & lætitiam obtinebunt. Iſaiæ 35.



Loruit aliquando Ieroſolyma, civitas David, atque in eo ſtatu, ex vaticinio Iſaiæ, incolis
In Iſai. obiectum fuit Gaudij & lætitiæ. Cornelius à Lapide cenſet id potiùs accipiendum eſſe de cæleſti Ieruſalem: in qua Beati omnes duplici gaudio perfunduntur, vt docent Theologi: vno eſſentiali, quod in Divinæ Eſſentiæ viſione conſiſtit: altero accidentali, quod ex pulchritudine, aſpectu & conſortio Beatorum oritur. Hac ergo felicitate accidentali B. Virgo dicitur
hîc

hîc à nobis. *Gaudium Beatorum*: quo Elogio insignitur à Methodio & S. Bernardo. Orat. in Hypapante. Ser. 1. de Assumpt.

§. 1. *Quod B. Virgo dum vixit habuerit anticipatum Gaudium Beatorum.*

§. 2. *Quomodo ipsamet dicatur Gaudium Beatorum in cælo.*

§ 3. *Quod gaudium istud* MARIÆ *ac cælestis Patriæ descendat ad vsque Cultores ejus in hac vita.*

Cum tam multa & tam magnifica dicantur de statu Beatorum in cœlo: qui nunc regno opulentissimo, nunc civitati florentissimæ comparatur: in qua S. Ioannes in spiritu *Vidit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*: quęri potest cur desertum dicatur in parabola ovis perditæ apud Lucam. Non vna hujus rei adfertur ratio: ad scopum meum facit illa, quam adfert Richardus à S. Laurentio, qui quasi desertum fuisse cœlum asserit, antequam illud ascendisset MARIA: quæ suâ præsentiâ atque admirabili pulchritudine, totum illud cæleste Beatorum domicilium collustravit. Huic sententiæ subscribit S. Anselmus, sic B. Virginem alloquens: *Omnia quæ in cælo sunt, ô Domina, per præsentiam & glorificationem tuam inæstimabiliter decorantur.* Apoc. 7. Cap. 15. Lib. 2. de Excell. Virg. c. 8.

§. 1. *Quod B. Virgo dum vixit, habuerit anticipatum Gaudium Beatorum.*

IVstorum privilegium est dum in charitate vivunt, in Deo degere; atque adeò delitijs affluere & gaudijs, tantò purius, quantò ad fontem omnis gaudij propius accedunt. De hoc pręclare Sanctus Augustinus: *Quisquis*, inquit, *habet charitatem vt quid eum longè m ttimis vt videat Deum: vult enim fortè videre sedentem in cælo:* In Psal. 49.

habeat

habeat charitatem & in eo habitat, sicut in cælo. Et hinc defluvia cæleſtium gaudiorum, tanto impetu & copia, vt medios ipſos tribulationum fluctus intercipiant, ſic
2. Cor. 7. teſtante Apoſtolo: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio, in omni tribulatione noſtra.* Quod ſi vbi charitas, vbi cruces, vbi tormenta; ibi gaudium: quid de MARIÆ corde putandum eſt, in quod hæc omnia confluxêre? ſed ad particularia veniamus. Primum Archangeli Gabrielis ad MARIAM verbum fuit *Ave*, Græcè Χαῖρε, id eſt gaude: ampliſſimo ſanè incremento, inquit S. Bernardus: *Gaudia Matris habens cum virgi-*
Ioan. 8. *nitatis honore.* Quod ſi Abraham in ſpiritu, diem Incarnationis Dominicæ contemplans gaudio repletus eſt. *Vidit & gaviſus eſt*: quantò magis B. Virgo MARIA, in cujus ſacratiſſimo vtero tam admirabile ac divinum myſterium peractum fuit? Id ipſum teſtata eſt S. Brigittæ: *Concipiebatur*, inquit, *Filius meus in vtero meo, cum ineffabili exultatione animæ meæ, & omnium membrorum.*

Salazar de Concept. c. 32. §. 4. Docent Theologi & nonnulli è Sanctis Patribus, viſam aliquando Deiparæ Virginis Divinam Eſſentiam dum viveret: & quidam cenſent in Incarnatione & in Nativitate Chriſti id accidiſſe; adeoque anticipato Bea-
Suarez tom 2. in 3 partem, diſp. 19. torum gaudio delibutam fuiſſe. Si Chriſtus in humilitate agnitus, imò & ſtellâ ejus viſâ à Magis Regibus; ita gaudum ijs accrevit, vt dicat Matthæus: *Videntes ſtel-*
Matth. 2. *lam gaviſi ſunt gaudio magno valde*: quantò magis MARIA quæ non ſtellam, ſed ſtellæ conditorem, Filium ſuum ſpectavit ſpecioſum ſupra filios hominum?

Agnoſcunt præterea Theologi nexum quemdam inter gratiam & gloriam: cum igitur à gloria beatificæ viſionis emanet gaudium in Beatis, vt tradit D. Thomas:

mas; necesse est ad mensuram gratię, mensuram quoque gaudij existere. Augetur cælitibus lætitia, videre in Verbo, tanquam lucidissimo quodam speculo, totius Providentiæ Divinæ ordinem, quo inter tot ambages & pericula, tandem salvi ad portum æternæ felicitatis pervenerunt. Quod gaudium MARIÆ in eodem isto speculo contemplari prærogativas gratiarum? immunitatem ab omni culpa tam originali, quàm actuali? extinctionem fomitis? maternitatem cum virginitatis illæso pudore? mortem sine morte? supremum in cœlo dominatum & gloriam? Et hæc omnia vidisse dum adhuc viveret in contemplatione Divinæ Essentiæ, vt supra memoravi, piè & ex supposito credendum est. Videtur hoc attigisse D. Gregorius Thaumathurgus, ad illud Verbum Salutationis Angelicæ, *Ave. Tuum est*, inquit, *ô Maria avere & gaudere.* Et subjungit: *Ave gratiâ plena; tu enim revera quæ gaudio sunt digna agis; quoniam immaculatam induta es vestem, & cingulo continentiæ & pudicitiæ cincta es.* Et hoc quidem de anticipato gaudio Beatorum in Virgine. *Ser. de Annunt.*

§. 2. *Quomodo ipsamet Virgo dicatur* Gaudium Beatorum *in cælo.*

INter gaudia accidentalia Beatorum, vt supra monui, post Sacratissimam Christi Humanitatē Stigmatibus Passionis suæ, ceu margaritis quibusdam fulgentem: Offert sese Dei Mater MARIA, adeò facie amabili, serenaque majestate; vt quidam veluti enthousiasmo sacro abreptus ausus sit dicere, obscuratum iri cælum nisi MARIA illic fulgeret. Eò ferè tendunt verba D. Bernardi; *Virgo gloriosa*, inquit, *hodie cælos ascendens super* *Ser. de Assumpt.*

norum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis: Hæc enim est cujus salutationis vox, & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si parvuli necdum nati anima liquefacta est, vt MARIA *locuta est: quid putamus, quanta fuerit cælestium civium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem & beatâ ejus frui præsentiâ meruerunt?*

Liceat nobis humano hîc more & fingere, & loqui: quod D. Augustinus in gloriosa Christi in cœlum Ascensione sibi exhibet. Concentum inquam totius curiæ cælestis & modulantium Angelorum choros: inter quos Davidem Regem organis psallentem illud psalmi: Psal. 67. *Psallite Deo qui ascendit super cœlum cœli ad orientem*: Quæ igitur fuerit, introeunte in cœlum Regina MARIA, totius curiæ cælestis exultatio, quod Beatorum omnium jubilum, quæ harmonia, quis cantus, quæ vocum atque instrumentorum musicorum concertatio, æstimet qui potest. Atque inprimis cum in illud altissimum cæli palatium introiens MARIA, suum illud canticum solemne *Magnificat*, vt pium est credere, summo cordis sui amore & gaudio intonuit. Quid tunc Angelorum omnium chori Cherubim & Seraphim, quid Beari omnes respondere potuerunt aliud, quàm Bethulienses incolæ ad Iuditham: Cap. 15. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorifica populi nostri.*

Sunt qui gaudium Beatorum accidentale in cœlo, à B. Virgine etiam alio modo concipiant. Sicut enim exaltandum in die Iudicij Crucis signum, imò & ipsa crux physica, in qua Christus moriens, opus redemptionis nostræ peregit, vt D. Chrysostomi, Thomæ Waldensis & aliorum est opinio: vt ad adspectum crucis etiam Beati omnes æternùm recreentur. Ita secun- Hom. de Cruce.

darium

darium objectum gaudij in cœlo censent aliqui asservatam Eucharistiam, eximij in nos amoris Christi, æternumque monumentum. Iam verò quæ theca pretiosior tanto pignori asservando, quàm pectus sacratissimum B. Virginis, instar splendidissimi crystalli translucens? Scribunt autem nonnulli, vt rem hanc piè conjectando probent, Deiparam Virginem morti vicinam communicasse, statimque defunctam, antequam species Sacramenti consumerentur: moxque gloriæ immortalitate, ac cœlo donatam, integras Sacramenti species servasse in hostia, & in æternum servaturam.

Vide P. D'outre. in Amore Increat. lib. 4. sect. 9. Servium de arte bene moriendi c. 18. §. 1.

Ad hæc si *gaudium in cœlo* esse dicitur, *super vno peccatore pœnitentiam agente*: quale gaudium esse debet super ea, per quam innumeri peccatores redeunt ad pœnitentiam?

Porrò audeo dicere cum S. Brigitta, gaudium à B. Virgine non tantùm ad Beatos & cælites derivandum esse: verùm etiam ad omnium gaudiorum fontem & oceanum, Deum, inquam, Quippe conferens S. Brigitta Deum cum Patriarcha Noemo Arcæ fabricatore, sic ait: *Lætabatur Noe quod Arca exteriùs & interiùs ita bitumine obducta erat, vt nulla aquæ gutta in eam intrare posset: Lætabatur Christus quod ita Matris suæ anima munita erat, vt nulla vel levissima culpa in eam intrare posset. Gaudebat Noe de Arca sua antequam fabricaretur: Gaudebat de te, ô* MARIA, *antequam te crearet.* Quid modò de statu ejusdem perfectissimo in cœlo, & Sabbato illo felicitatis æternæ? *Requievit Deus die septimo ab vniverso opere quod patrarat.* inquit Sacer textus; vbi in Hebæo habetur, *gavisus est.*

Matth. 15.

Gen. 2.

§. 3. Quod gaudium istud MARIÆ, *ac cælestis Patriæ descendat ad vsque Cultores ejus in hac vita.*

NVllus est mortalium qui gaudium non affectet: multi illud quærunt: sed Andabatarum more, id est cæco modo: quamobrem Seneca Lucilium monet: *ante omnia discere gaudere.* Error est mortalium, qui passim in rebus humanis adumbrata gaudia pro veris captant. Sic duces magni aliquando in rebus afflictis hilaritatem simulant: & adversas res adumbratâ lætitiâ abscondunt. De falsis hisce gaudijs apertiùs loquitur Philo, quæ somnijs evanescentibus comparat. *Gaudia,* inquit, *somnijs sunt simillima: veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, & priusquam comprehendantur, avolant.* Itaque si verum gaudium quæritur, à virtute accersendum est, vt scitè & Christianè idem Seneca: *Gaudium non nascitur, nisi ex virtutum conscientia; non potest gaudere nisi fortis, nisi justus, nisi temperans.*

Epist. 23. *Lib. de Ioseph.* *Epist. 59.*

Sed vt ad propositum accedamus, dico quàm proximos esse vero gaudio, qui MARIANIS legibus, cultui, atque aris sese addicunt. Nec enim frustra exclamat Rupertus in Cantica: *O Beata* MARIA, *exundatio gaudij, torrens voluptatis!* Nota *torrentem & exundationem.* Siquidem nulla est gens, populus, domus, denique status & conditio, ad quam MARIANI gaudij influxus non pervadat. *Exundatio* est, *torrens* est. At enim objiciet aliquis ergastulum fortè & carcerem: Et illuc influunt MARIANI radij, simul delitiæ & gaudia. Hinc Domina *à Lætitia* apud Picardos in Galliæ finibus; de cujus origine ita scribitur. Attinebantur in custodia tres Nobiles Picardi,

N. de Liesse.

Picardi, in ipſa Cairo vrbe Ægypti: ita juſſerat Sultanus, nec inde abituros, niſi perſoluto ingenti lytro. Captivi interea, quamquam clauſis ergaſtulis, liberis mentibus ad Deiparam evolant: opem depoſcunt: memores ſe fore beneficij, ſi inde eripiantur. Nec fruſtra ſuſę preces; apparet eis intra carceris anguſtias Deipara Virgo luce coruſcans; ſimul iconem ſuam illis tradit; clavem dixiſſes carceris; nam ſubitò è carcere liberi, vnà cum Emeria Sultani filia, finibus Picardiæ incolumes ſiſtuntur. Iconem, quam ſecum ex Ægypto detulerant ædificando templo ſiſtunt: cui adhuc hodie & cultus eò peregrinantium frequens, & nomen à Lætitia remanſit.

At quæret fortaſſe quiſpiam, quo tramite hic Lætitiæ rivus ad nos derivetur: Eſt qui à gaudio ad gaudium; alius qui à triſtitia & mœrore ad lætitiam tranſeat. De gaudij MARIANI affluxu à ſemita ipſiuſmet gaudij; ſcribit B. Petrus Damianus Cardinalis his verbis: *Monachus fuit*, inquit, *ita mirè & ſingulariter affectus in Virginem, vt quoties ante altare ejus tranſiret, toties eidem Antiphonam recitaret, quæ incipit. Gaude Dei genitrix Virgo Immaculata: gaude quæ gaudium ab Angelo ſuſcepiſti: gaude quæ genuiſti æterni luminis veritatem: gaude Mater, gaude Sancta Dei genitrix Virgo.* Quid poſteat? Meruit hic audire vocem Virginis quaſi ab altare prodeuntem: *Gaudium mihi annuntiaſti, gaudium tibi adveniet.* *Lib. 3. Epiſt. 10*

Refertur & hoc de B. Hermanno Ordinis S. Dominici, qui B. Virgini congratulans, ſingula ejuſdem benedicta membra, quæ Verbo Incarnato ſervierant, benedicere conſueverat, hoc modo: *Benedictus, ô benedicta, vterus qui novem menſibus cælorum immenſitatem concluſit & portavit. Benedictum amabile cor tuum,*

mysteriorum fidei nostræ sacrarium. Benedicta castissima vbera tua, quæ lactaverunt Christum Dominum. Benedictæ manus tuæ, quæ attrectaverunt lignum vitæ. Benedicta brachia tua, quæ portaverunt Filium Dei & Creatorem mundi. Benedictum pectus tuum, supra quod quies Beatorum requievit. Benedicta labia tua, osculis dulcissimi Filij tui consecrata. Addebatque ad singulas benedictiones Salutationem Angelicam: ex quo exercitio fluebat in Hermanni pectus suavissimus quidam devotionis sensus, colliquescens in lacrymas.

Methodus alia est per lacrymas, & compassionis affectum ad gaudium tendere. Eo calle processit Servitarum Ordo Florentiæ, quos nigra veste indui voluit B. Virgo, vt vel sic Virgineis doloribus & lacrymis suffragarentur. Ex hoc secuta est in omnibus Servitarum ducibus ac primipilis, à B. Virgine suavitas quædam & gaudiorum affluentia in morte; Ita omnibus contingat, opto. Verùmque appareat in nobis, quod dicit

Psal. 29. Psalmista Regius: *Ad vesperum demorabitur fletus, & matutinum lætitia.* Et revera lugere cum Filio, lugere cum Matre; dum vtrumque in monte Calvariæ inter acerbissimos dolores laborantem conspicimus, ac meditamur, iter est ad gaudium. Non possum hisce prædictis non adjicere, quod Vates MARIANVS Elegiaco versu exponit, adumbratque accersita Poësis lucubratione; quæ nec à Theologorum sensu prorsus adhorret. Cùm enim morientem feliciter Sodalem exhibuisset sub vmbra Virginis; elapsam corpore animam, imò & à Purgatorijs ignibus liberam; sic ad gaudia æterna properantem inducit, triumphi in modum.

De Cultu Deip. lib. 3. n. 28.

Ludimur? an purus contra resplenduit æther!
Turbaque per liquidas emicat alba vias?

Aurea

Aurea pompa venit; procul hinc, procul iste prophani:
Crebrescunt plausus, aurea pompa venit.
Antevolans viridi præcinctus tempora lauro,
Ordinibus fusum dirigit agmen Amor.
Hinc illinc Genij MARIANA *Rosaria portant:*
Cælestis longo tramite spirat odor.
Aspice dilutas mixtis fulgoribus umbras,
Perqúe triumphales agmina fusa choros:
Astra petunt, saltusqúe super, vallesqúe relictas,
Promicat ætheteræ turba fidelis Heræ.
Aëra transierant, & puræ lucida flaminæ
Atria; præqúe oculis stellifer axis erat.
Panditur extemplò limen radiantis Olympi:
Itur in excursus; omnia lumen habet.
Est speculum, medio latè aspectabile cælo,
Per quod cernenti Curia tota patet.
Hoc Deus est, illo licet abdita quoque tueri,
Seu quod erit posthac, sive quod ante fuit.
Hoc speculo MARIA *suos, vt Mater amantes,*
Erudit, antiquis exhilaratqúe notis.
Cerne ait, & cæli supremum Numen adora:
Tempus in aspectu Numinis omne patet.
Ecce tibi gravidæ Matris gestatus in alvo,
Ante ortum infelix quàm prope funus eras.
Aspicis vt rapitur ferali tramite currus,
Vt malus admissos mulio cogit equos?
Impedij lapsum, ne bis morereris in illo;
Vtque salutiferis imbuereris aquis.
Dum tener in cunis vagis, suspiria pressi:
Et jussi lacrymas parciùs ire tuas.
Inde puer, captasqúe iocos; sed provida cavi,
Ne fieret primo pectora fœda luto.

En dum vina petis temulentiùs, aspicis, hostis
Vt tibi per cyathos insidiator erat?
Credebas talem nimis, heu! malè cautus amicam:
Perderet vt captum (respice) lena fuit.
Ecquid densato coguntur nubila cœlo,
Turbidaqúe excussas distrahit aura rates?
Fluctibus, heu! mergendus eras; nisi certa dedissem
Fila capessendæ per loca tuta viæ.
Servatus quoties, quoties defensus ab hoste;
Nunc quoque quod cœlo vivis, id omne meum est.
Finierat Virgo: micuerunt atria tædis,
Et stetit ad plenas aurea pompa vias.
Ante alios festivus Amor, pallaqúe renidens:
Vivat io IESVS, *Divaqúe vivat, ait.*
Moxqúe repercussâ summis laquearibus aulâ,
Reddidit acceptos Regia tota sonos.
Permixti nuribusqúe viri, puerisqúe puellæ,
Alternas tangunt, increpitantqúe fides.
Quodqúe canunt, toto semper cantabitur orbe,
Dum polus, & vasti Conditor orbis erit.

Quidni ergo Deiparam, *Gaudium Beatorum* nuncupem, quæ cæleſtes delitias nobis affundit, dum adhuc inter mortales vivimus: æternaſque certò aſſervat in cœlo, ſui patrocinij, & auxiliorum ad ſalutem obtentorum manifeſtatione facienda in Verbo, cui honor, gloria & benedictio, cum Patre & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen.


LITERA

LITERA

H.

HAMVS DIVINITATIS.

Vade ad mare, & mitte hamum. Matth. 17.


Ppulerat Christus Dominus Capharnaum, vrbem maritimam, cum tributi annui collectores exegerunt didrachma; id est, monetâ nostrâ asses decem. Iubet ergo Petrum ire ad mare; hamum jacere, arreptique piscis, qui primò extraheretur: aperto in ore staterem inventum iri ad solvendum, quod exigebatur. Atque hoc ad literam. Mysticè per piscem Christum intelligere possumus: per MARIAM Hamum: per staterem inventum in ore piscis, pretium redemptionis nostræ, quod in Christo IESV repertum est. Quàm verò appositè & congruenter MARIAM Virginem *Hamum Divinitatis* appellet S. Epiphanius, & S. Catharina Senensis apud Blosium; hoc discursu demonstramus. Sit ergo. *In Monill Spirit.*

§. 1. *Quomodo B. Virgo vt Hamus, Verbum Divinum è sinu Patris attraxerit in terram.*

§. 2. *Quod Christus per hunc Hamum Matris peccatores plurimos è pelago vitiorum extrahat.*

§. 3. *Quàm hæc piscatio vtilis sit ac delitiosa.*

Piscatio, sive ars fallendi pisces proditoriâ escâ, vt

ſic loquar, in vſu fuit ſaltem ſub metaphora, ſtatim ab ipſo orbe condito: ſiquidem Adamus & Eva ſic ineſcati & capti fuêre à Satana, oblato fructu arboris vetitæ: *Vidit*
Gen. *lignum quod bonum eſſet ad veſcendum, pulchrum oculis, aſpectuque delectabile.* Quod autem additur: *nequaquam moriemini* Eſca eſt atq; in ſerpente talia loquente piſcator
Eccl. 9. fuit Satanas. Hinc fluxit dictũ Salomonis: *Sicut piſces capiuntur Hamo, ſic capiuntur homines in tempore malo.* Cæterùm piſcatio etiam in bonam partem ſumitur, eamque Deus per ſe ſuoſque exercuit trahendis ad ſe ho-
Cap. 16. minibus juxta illud Ieremiæ: *Mittam ad eos piſcatores multos, & piſcabuntur eos.* Et Chriſti ad Diſcipulos:
Marci c. 1. *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.*

§. I. *Quomodo B. Virgo vt Hamus, Verbum Divinum è ſinu Patris attraxerit in terram.*

LAtuerat diu, id eſt tota æternitate Verbum Divinum in ſinu Patris, non aliter quàm in profundiſſimo quodam oceano & abyſſo, ad quam vis humani in-
Cap. 45. tellectus penetrare nequit, juxta illud Iſaiæ: *Verè tu es Deus abſconditus.* Sed B. Virgo vtique piſcatrix egregia, veluti Hamo quodam, de quo poſtea dicemus, de cœlo in terram attraxit. Certè ante Incarnationem ita latuit Verbum Divinum; vt diſputent Theologi, num aliquando ante illud tempus hominibus ſe videndum
Contra Marcion. lib. 3. cap. 9. præbuerit. Tertullianus affirmat, dicitque Verbum Divinum in Angelis, qui ad Abraham diverterunt, in perſona propria apparuiſſe. *Idem ipſe* (Chriſtus) ejus ſunt verba) *cum Angelis tunc Abrahæ in veritate quidem carnis apparuit, ſed nondum natæ, quia nondum moritura: ſed diſcentis jam inter homines converſari.* Cui conſentit

Euſebius

Eusebius dicens Verbum in carne ad tempus assumpta incarnationi prælusisse. Sed communior Patrum sententia est, nemini mortalium Verbum Divinum apparuisse corporaliter ante incarnationem. Apparitiones autem illas quas refert scriptura, sive quæ Abrahamo, sive quæ Patriarchæ Iacobo: & quæ omnium nobilissima facta est Moïsi, in monte Sina, vbi & legem accepit: id omne præstitum fuisse ministerio Angelorum, Dei personam non sine lumine & majestate repræsentantium. Debebatur scilicet hæc Divini Verbi piscatio & manifestatio Deiparæ Virgini MARIÆ, quæ exinde *Hamus Divinitatis* non immeritò appellatur. *De præpar. Evang. lib. 5. cap. 9.*

Ex hoc discursu duo deduci possunt: primùm quod Verbum Divinum metaphoricè per piscem adumbrari potest: secundum, quod *Hamo* veluti de cœlo in terram attractus est Deus. Et de primo quidem observant Græci Patres mysterium in hoc vocabulo ἰχθὺς, id est piscis: cujus quinque literæ continent initiales horum verborum: ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱός σωτήρ IESVS *Christus Dei Filius Salvator.*

Quod ad *Hamum* spectat, qui escâ obductus apponi solet piscibus; adducitur Canticorum locus hic: *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, in vno oculorum tuorum, in vno crine colli tui.* Vbi Pagninus & Isidorus Clarius ex 70 legunt: *Abstulisti cor meum, rapuisti, attraxisti.* Certè illicium hîc habes. Quippe per vnum oculorum & colli crinem virginitas & humilitas, quibus Verbum Divinum de cœlo in terram adduxit; ita affirmante D. Bernardo. *Ex virginitate placuit, ex humilitate concepit.* De hac humilitate Divinitatis attractiva; non minùs eleganter, quàm piè Guarricus Abbas exclamat. *O Humilitas angusta tibi, ampla Divinitati: pauper &* *Cap. 4.*

insufficiens tibi: sufficiens ei, quem non capit orbis; copiosè ac delitiosè reficiens eum, qui & Angelos pascit: super quem, inquit, requiescam nisi super humilem: In omnibus requiem quæsivi & non est inventa similis in gratia humilitatis. ideò in plenitudine humilitatis, requievit etiam corporaliter omnis plenitudo Divinitatis. Ecce ergo *Hamum*, MARIÆ humilitatem: non attrahitur piscis hic Divinus nisi humilitate. Statim ergo vbi hæc verba humilitatis protulit MARIA: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:* conceptus est in vtero ejus Filius Dei. Quam admirabile istud verbum, inquit Augustinus: *Altus est Dominus: Humilias te, descendit ad te: erigis te, recedit à te.*

§. 2. *Quod Christus per hunc Hamum matris plurimos peccatores è pelago vitiorum extrahat.*

In monili Spirit. TEstem veritatis hujus produco Ludovicum Blosium Abbatem Lætiensem, qui in vita S. Catharinæ Senensis sic Patrem æternum loquentem inducit: *Matri vnigeniti Filij mei* MARIÆ *Virgini datum est à bonitate mea, vt propter Incarnati Verbi reverentiam, quicunque peccator ad eam debita veneratione accesserit, nullo modo rapiatur à Dæmone. Hæc est enim à me electa, parata & posita tanquam dulcissima esca ad capiendos homines & potissimum peccatores.* Dixit aliquando Christus apud Ioannem: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum:* mortem suam intelligit in cruce: & quid fortius & efficacius ad extrahendos homines è cœno vitiorum & ad ima demersos, quàm Christus crucifixus! Quod si pulchritudine sua hos attraxit: nec pulchritudinem suam amisit Christus cruci affixus,
Cap. 12.

quamvis

quamvis Prophetæ sic eum in spiritu contemplantes, dixerint· *Vidimus eum & non erat aspectus; non est species ei, neque decor.* Sed animæ Christi ac divinitatis ejus pulchritudo nunquam abfuit, aut obscurata est: vnde D. Augustinus, *Semper*, inquit, *pulcher Christus, pulcher in cœlis, pulcher in terris: pulcher in miraculis, pulcher in flagellis: pulcher in patibulo, pulcher in sepulchro.* Quod si Christus in cruce illicium est animarum: quidni etiam asseramus duplici quoque motivo, Christum per MARIAM, interque ejus vlnas peccatores ad se & ad pœnitentiam attrahere? Scribit Author Margaritæ B. Virginem dum adhuc in terris ageret, habuisse in oculis nescio quid suave & efficax ad reducendos peccatores: adeoque veluti *Hamum* quemdam pietatis, & virtutem attractivam: ejus sunt verba: *Respiciens Christi & MARIÆ Divinum vultum, quicunque esset peccator non posito actuali obice: statim movebatur ad detestationem peccati & emendationem vitæ: idque ex quodam fulgore cælesti, ex eorum vultibus radiante.* Expertus id bonus Latro in Calvariæ monte, cujus conversionis & salutis adeptæ causam, adscribunt nonnulli Virginis aspectui: quam virtutem remansisse Imaginibus MARIANIS supra insinuavi. Quale illud est quod Annales nostri referunt: rei seriem poeticè scriptam lubet hîc exponere.

Isa. 52. cap. 53. *Ser. 9 de Nat. Christi.* *Quæst. vlt. moral.* *De cultu Deipar lib. 2. n. 28.*

Nec te præteream Socijs adscripte Goëzi,
Et tibi quà fugeres fila, MARIA dedit.
Nempe Travancoridæ dum littora circuis oræ,
Quam non sperabas, fert tibi littus opem.
Illic ara fuit deserto parva Sacello,
Inque ara rudibus picta tabella notis.
Virgo erat, & gremio IESVS consederat infans:
Huc properas, gemitus accipit illa tuos.

Extemplò pueri effigies (mirabile dictu)
Cum Matre in lacrymas liquitur, Hamus erat.
Attrabor, exclamas: venio reus, exuo crimen:
Pœnitet insano vela dedisse noto.
Quò me Diva trabis, sequor vltro Diva trahentem,
Imperio subsunt ventus & vnda tuo.
Dixit, & abrumpens Paphiæ retinacula lenæ,
Syrtibus implexum puppe relegit iter.
I, modò, Loiolidasque viros sectare, Goëzi,
Spectabunt Indi, quæ tua facta canant.

Tom. 1. cap. 41. n. 15. Aliud addo ex Stengelio Nostro, qui sic scribit: Anno, inquit 1641. Neapoli in Festis Natalitijs, vt mos est fidelium Bethlemitica stabula construere & cunas pueri Iesv. Eò spectaculi convenit inter cæteros mancipium Turca: dum spectat curiosiùs, visus est etiam spectari à puero & Matre, imò & vocari: quam vocem insolitam præsentes qui aderant audiverunt, novitate rei prorsus attoniti. Hæret primùm Turca, quem digito incurvo ad modũ *Hami* ab infantulo Iesv invitabatur, vt propius accederet ad cunas, accessit: ibique monitus à Iesv & Maria Matre, vt Baptismi salutares aquas admitteret: fore vt post dies paucos mortem obiret, & cœlo donaretur: quod vtique feliciter evenit. Habemus ergo & Mariam animarum piscatricem: Habemus & eandem per modum *Hami*, id est, suavitate morum extrahere peccatores è cœno & profundo vitiorum.

§. 3. Quàm piscatio hæc hominibus sit vtilis ac delitiosa.

IN naturalibus ac moralibus intercipi, illaqueari & quo quo modo constringi semper odiosum est: abhorret

horret ab hoc natura beſtiarum, & ipſi piſces, etiam hamo correpto obluctantur piſcanti. Nihilominus longè aliter de hac piſcandi arte, & natura nobis eſt Philoſophandum. Fertur fuiſſe inter Romanos Cæſares, qui hamo aureo piſcari ſolitus erat: plures hominum tantùm non piſces fiebant, vt ſubter aquas natando hamum illum captarent. Lubet hîc addere quid ingenioſus MARIÆ cultor de Cancellis Virgineis ad Inſulam, vbi Cancellata Virgo colitur, piè aliàs panxerit. Cancellos MARIÆ retia quædam eſſe commentatur; quibus irretiti homines, at mutatis moribus meliores evadunt. Ita canit.

Venatrix Virgo eſt; Cancelli retia fiunt:
Sæpe quibus cervus, ſæpe tenetur aper.
Vidi ergo, ceu Libyca ſævum de ſtirpe leonem,
Mox vbi Cancellos induit, agnus erat.

Nota eſt Parabola apud Matthæum, vbi Chriſtus. Cap. 13. *Simile eſt*, inquit, *regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti: quæ cum impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentem elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt.* Secus accidit in piſcatione MARIÆ, vbi quicunque irretiuntur piſces, mali eſſe deſinunt ipſâ capturâ: quod ſupra exemplis oſtendi, nunc aliud ſubdo, ex Seraphino Razio Ordinis Prædicatorum. *Sanctimonialis quædam*, inquit, *cui amor* In Hortulo *& aſſidua B. Virginis memoria cum ætate creverat;* Exempl. *potentis ac prædivitis viri ejus pulchritudine capti blanditijs ac promiſſionibus illecta nuptias cum eo celebrare conſenſerat: condixerant diem, quo raptam virginem de Monaſterio ille adulter ſuo ſociaret conjugio. Poſtea autem cum in domo parentum quieſceret, nocte illa quæ nuptias præcedebat, in ſomnis ſe ſupra os putei raptam vidit, qui*

enormi

enormi amplitudine & profunditate oris sui barathrum aperiens, tam immanes exhababat fœtores, vt universum hujus mundi aërem videretur inficere: tam densas fumi nebulas vt claritatem de cœlo videretur effugasse. Cumqúe totum serpentibus & vermibus scaturiret, & à clamore eorum, qui intus torquebantur horribili quodam sonitu videretur immugire: vidit repente Æthiopes quosdam ignitos de medio exilientes, & animas damnatas tormentis absque differentia crudeliter immergentes: à quibus & ipsa correpta, cum intrò traheretur; inter ipsas jam desperationis angustias circumspiciens, si esset auxiliator, Deiparam vidit; sed nimis à longè, & à se ita aversam, vt ex ejus visione vix aliquam spem posset colligere: toto tamen conatu ad illam conversa, ejusqúe nomen inclamans: Domina, inquit, Domina, subveni ancillæ tuæ in tam amarâ necessitate constitutæ. Post multa verba accessit Mater pietatis, manumqúe ejus tenuit, & procul illicò facti sunt inimici, dixitqúe ei: Hi sunt fructus libidinis, hoc præmium voluptatis, & recessit. Vix evigilarat, cum nuntij illius divitis aderant, quærentes quid fieri juberet de necessarijs nuptiarum: quibus cum summa indignatione rejectis, rem omnem parentibus aperuit, & Monasterio reddita, totis se viribus pænitentiæ luctibus, & antiquo proposito sese addixit. Ecce ergo quomodo vtiliter à B. Virgine educimur ex pelago vitiorum, & ad meliorem statum frugemque adducimur.

Addo non tantùm vtile, sed & delitiosum esse à B. Virgine MARIA, & à Deo per illam ceu *Hamum* piscante inescari & attrahi. Quippe piscatio & attractio hæc amoris est, adeoque suavitatis ac delitiarum nunquam expers. De hoc amoris Hamo & attractione agens D. Augustinus, sic fatur inter alia: *Ramum viridem osten-*

Tract. 26. in Ioan.

dis

dis ovi, & trahis illam: nuces puero demonstrantur, & trahitur: & quod currit trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista, quæ inter delitias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est: trahit sua quemque voluptas; non trahit revelatus Filius à Patre? Ex quibus facile est deducere, si quæ Sponsi sunt ad Sponsam pertinent, & quæ Filij ad Matrem: non potest vel Sponsa vel Mater non piscari & trahere animas cum voluptate.

Quare si omnia hæc quæ à me commemorata sunt, ita se habeant: si MARIA Virgo *Hamus est Divinitatis*: quo scilicet Divinum Verbum de cœlo in terram adduxit; eodemque *Hamo* Deus ipse innumerabiles animas ad se trahit: Quid stertimus? quid somnolenti sumus? cur ad piscandum homines non festinamus? expediamus obsecro & retia & sagenas, & hamos: ne nobis vel vna elabatur anima; quam possumus Deo & B. Virgini acquirere. Et quia in MARIANIS Imaginibus illicium est. in virtutum ejus commemoratione, esca: in præconijs ejusdem, *Hamus*. Vtamur ijs affatim & vbique; & cogitemus nobis meliori sorte Ovidianum illud accini.

Semper tibi pendeat Hamus,
Quo minimè reris gurgite, piscis erit.

O LITERA

LITERA

I.

IMMACVLATA.

Aperi mihi Soror mea Sponsa, Amica mea, Columba mea, Immaculata mea. Cant. 3.

EPitheta hæc amoris plenissima sunt, & conficere videntur gradationem quamdam Rhetorico more: multum est enim à Divino Sponso *Sororem* vocari, plus *Amicam*, suaviùs *Columbam*, perfectiùs *Immaculatam*: quippe quæ proximiùs ad totius puritatis fontem accedit, Deum ipsum: quem & ipsa purissimum in se exhibet, tanquam in *Speculo sine macula*. Hoc Elogium inter cætera ac plurima longè præclarissimum, Beatissimæ Virgini passim attribuitur à Sanctis Patribus: vt videre est apud Chrysostomum, Augustinum, Hieronymum, Cyrillum, Rupertum, Bonaventuram, Guarricum Abbatem & alios. Itaque plenis hîc velis puritatis MARIANÆ oceanum ingredior: quippe quæ primo instanti suæ productionis Immaculatè concepta est; sine vllo peccati originalis nævo & macula: atque ob id inprimis à Fidelibus omnibus verè MARIANIS, ejusque honorem amantibus, colenda & prædicanda.

§. I. Quàm

§. 1. *Quàm antiqua sit in Ecclesia* MARIÆ *Immaculatæ Festivitas.*

§. 2. *Quod conveniens fuerit Augustissimæ Trinitati, ita illam creare.*

§. 3. *Quæ praxis & modus colendi B. Virginem* MARIAM *sub titulo Immaculatæ Conceptionis.*

Myſterium Conceptionis Immaculatæ Deiparæ Virginis, hoc Elogio aggredimur: quod tamen ſparſim, prout ſuggeret materia, ſtabilire in animo ac votis eſt. Vtinam Elogia hæc candidiſſimæ atque Immaculatæ Virginis pertractando, & percurrendo, contingat nobis; quod de Leporibus Alpium tradunt Hiſtorici: nimirum vt album colorem induant; propterea quod ſemper in nive morentur, quâ Alpium juga & valles albicant, nec aliud oculis eorum objiciatur, quàm nivium candor.

§. 1. *Quàm antiqua sit in Ecclesia* MARIÆ *Immaculatæ Festivitas.*

PArum eſſet Eccleſiæ militantis, pro Immaculata Matris Dei MARIÆ Conceptione pia concertatio, niſi etiam triumphantis Eccleſiæ cœtus, Angelicis ipſis choris ſuavi modulamine præeuntibus, eò concurriſſet. Fertur enim B. Oringæ Virgini, quæ ſub annum Chriſti 1310. Sanctitate floruit, hoc inter orandum innotuiſſe. Etenim devota hæc Virgo in ectaſim rapta, viſa eſt ſibi videre thronum ſplendidiſſimum in cœlo, quem inſedit Chriſtus: ad latus verò Beatiſſimam Virginem, candidiſſima ac nivea in veſte: ad hæc audire ſuaviſſimè modulantes Angelos: ſimul cauſam hujus harmoniæ, ſolemnitatem inquam Immaculatæ Conceptionis MARIÆ, quæ in cœlo, à tota illa curia & Eccleſia trium-

phante peragi. Quamobrem æquum erat omnino vt hæc etiam Festivitas in terra celebraretur: nec defuêre pia Fidelium studia, vel ab ipsis Apostolis, vt observarunt graves & perantiqui Auctores, quos recenset Antonius Velasquez, Neirembergius, Christophorus Vega. Certè Immaculatæ Virginis cultum apud Hispanos à S. Iacobo cœpisse antiquissima probant testimonia Lucij dextri, S. Hieronymo noti, Marci Magni Archiepiscopi Cæsar-augustani, Luitprandi Episcopi Cremonensis & Iuliani Toletani. Officio Ecclesiastico sacrum hoc mysterium primus in Hispania celebrare cœpit S. Ildephonsus Toletanus Archiepiscopus, inter Cultores MARIANOS magnum toto orbe nomen adeptus: qui compositas à se in honorem Immaculatæ Conceptionis preces & hymnos anno Christi 667. in Templo Metropolitano (quod paucis post diebus ipsamet augustissima cæli Regina, corporali sua præsentia, quasi grati animi signum dignata est) jussit solemniter modulatis vocibus decantari.

Vide Loufsum de Immac. Concept.

Constat ex menæis, Græcos tempore Sabbæ quæ circa annum 406. floruit, hoc festum coluisse. Andreas Cretensis qui circiter annum 560. Canonem Ecclesiasticum Græcorum antiquorum composuit, id ipsum de suo tempore reddit indubitatum. Deinde circa annum 900. Conceptionis puritatem concionibus & orationibus varij celebrarunt. Inter quos Leo Augustus Imperator, cognomento Sapiens citatur à Card. Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum.

In Hungaria verò & Italia, non sine prævia purissimæ Virginis, Frederico Regis fratri apparentis adhortatione; festivus ejusdem mysterij cultus post annum à Christo nato 800, excitatus est, At in Anglia circa 1070.

etiam

etiam illic per apparitionem Elsino Abbati: cujus hîc historiam particulatiùs refero. Elsinus Abbas Remestensis magnæ vir prudentiæ ac pietatis in Anglia, à Guilelmo qui ex Normannorũ Duce in Angliæ Regem bellica virtute evaserat, in Daniam negotij causâ missus erat. Eo fideliter peracto, cum in Angliam reversurus se mari commisisset; horrenda tempestate adductus in extremum discrimen, vnà cum socijs clementissimæ Virginis MARIÆ opem ferventissimis precibus imploravit: Et ecce mox inter immanes fluctus venerabilis quidam Prælatus cælesti fulgore & Pontificali ornatu conspicuus (Sanctum Nicolaum fuisse nonnulli tradunt) prope navim apparuit: dixitque se jussu Reginæ cœli adesse, vt ab imminente omnes exitio eriperet: dummodo promitteret Abbas, se Conceptionem B. Virginis 6. Idus Decembris solemniter celebraturum; aliosque ad illud ipsum excitaturum: addebatque eodem Officio Conceptionem colendam, quo Nativitas celebrari consuevit: mutato dumtaxat vocabulo *Nativitatis* in *Conceptionis*. Nuncupato voto illicò depulsa tempestas, & prosperi venti beneficio incolumes omnes celeri cursu optata Angliæ littora attigêre. Nec defuit fidei suæ liberandæ Abbas. Beneficium Virginis Deiparæ, ejusdemque de colendo Conceptionis Festo voluntatem alijs notam reddidit. Atque in suo quidem, cui præerat Monasterio, diem assignatum præscripto Officio celebrandum curavit. Alios autem dum vixit exemplo & adhortatione in ejusdem pietatis consortium attrahere sedulò conatus est. Quem etiam cultum, vt per totum regnum Episcopi sequerentur, S. Anselmus persuasit.

Rosvveid. in vit SS. P. Alva in Sole Verit.

Anglos annorum aliquot intervallo secuti sunt non-

nulli in Gallia Lugdunensi, apud quos ob Juris Ecclesiastici defensionem exulans S. Anselmus, eundem cultum Immaculatæ Conceptionis creditur propagasse.

Circa eadem tempora in Germania quoque pietas hæc in quibusdam Ecclesijs exerceri cœpta est: vti constat ex Officio Conceptionis à S. Anselmo composito: auctaque fuit dum S. Norbertus ipsius Deiparæ suasu, Ordinem Religiosum in honorem Immaculatæ Virginis instituit, aliosque ad eamdem colendam excitavit.

Apud Belgas quoque circa annum 1200. Festivitatem Immaculatæ Conceptionis fuisse in honore, patet ex diplomatibus Balduini Flandriæ & Hannoniæ Comitis apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgij; & Colvenerium in Kalendario B. Virg. Octava Decembris.

Cap. 17.

At Sacro-Sancta Ecclesia Romana, cujus præ cæteris auctoritas est longè maxima, licet à pluribus Ecclesijs ista fieri non ignorabat, nec improbabat: ipsa tamen Spiritu Sancto sic dirigente, huic mysterio non priùs publicum decrevit cultum, quàm Sixtus IV. ad sacram D. Petri Cathedram assumptus est. Hic enim primus circa annum 1476. in Ecclesia Romana speciale Officium & Missam in honorem Immaculatę Conceptionis Apostolica auctoritate instituit; omnesque totius orbis Ecclesias ad eumdem ritum, cultumque invitavit. Ne quis autem obstrepere audeat, institutum quidem ab illo fuisse Officium & Missam de Conceptione, non tamen de Conceptione Immaculata: operæ pretium erit, & sufficiet paucula verba ex Missa & Officio Sixti IV. in medium proferre. Oratio siquidem hæc erat: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparasti; quæsumus, vt sicut ex*

morte ejusdem Filij tui prævisa eam ab omni labe præservasti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Invitatorium autem quod appellant, in hunc modum personabat: *Immaculatam Conceptionem Virginis* MARIÆ *celebremus: Christum ejus præservatorem adoremus Dominum.*

Atque hoc Officio & Missa tum Romana Ecclesia, tum aliæ quæ ritum Romanum sequebantur vsæ fuerunt per annos ferè centum sub duodecim Pontificibus: ipso etiam tempore Concilij Tridentini. Licet autem deinde Pio V. Pontifice in Breviario & Missali Romano in locum ejusdem Officij & Missæ alia subrogata sint: cave tamen dixeris, aut suspiceris, mentem sensúmne Ecclesiæ Romanæ de colenda Immaculata Conceptione fuisse immutatum: hoc enim à veritate prorsus alienum esse, ex ipso Pij V. Officio satis evidenter constat. Nam in eo, vt alia prætermittam, gloriosæ Virginis Conceptio appellatur *dignissima* & *Sancta*. Quonam autem pacto *Sancta* foret Conceptio, & Matre Dei *dignissima*, si non Immaculata: hoc est, si Genitricis Dei anima non fuisset præservata immunis ab illa macula, quæ eam redderet *filiam iræ* & mancipium diaboli?

Porrò nequis de constante & post Sixti IV. Institutionem nunquam immutato Ecclesiæ sensu Cultus Conceptionis, in posterum disputare, vel controversiam movere auderet: post tot Pontifices Romanos, id est plusquam sedecim, qui ab annis 200. eamdem Conceptionem Immaculatam approbarunt, nuper severè cautum est Sanctissimi D. N. Alexandri VII. Constitutione, quam ipso Conceptionis Festo die, anno 1661. signavit, quæ incipit: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum &c.* quàm reddit Dorotheus Louffius Soc. IESV, & superiùs dicta à me hîc relata. *Vide vt supra.*

§. 2. Quod

§. 2. *Quod conveniens fuerit Augustissimæ Trinitati Virginis* MARIÆ *animam Immaculatam creare.*

AD vlteriora pergo, & ostendo consentaneum planè fuisse & condecens tribus Personis Augustissimæ Triados, Beatissimam Virginem MARIAM prorsus ab omni peccati labe immunem: adeoque Immaculatam creare in anima & corpore: Nam si creaturæ omnes, ita à Deo productæ sunt, vt triplici Divinitatis charactere insignitæ prodierint: juxta illud Salomonis assertum de Divina & increata Sapientia: *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*: Ita vt eluceat in omni creatura trium Attributorum cujusque Personæ Divinæ effectus, Potentia videlicet, Sapientia, & Bonitas: quantò magis, imò & super omnes puras creaturas, eosdem Dei characteres in Beatissima Dei Matre elucere oportet?

Sap. 1.

Æquum igitur erat & condecens, vt à prima persona in Divinis, qui est Pater, in MARIA opere isto perfectissima, Potentia & virtus agendi supra naturæ cursum & ordinem appareret. Fertur inter Romanos fuisse Marium quemdam Septimium tanto robore præditum, vt currum impetu suo per declive ruentem, opposito digito sisteret: Quidni Pater æternus, MARIAM ex descensu seminali per Adamum, ruentem in peccatum originis, per potentiæ suæ absolutæ virtutem retinere non posset? *Potuit, ergo & fecit*, prout plerique ex mente D. Augustini argumentantur.

Porrò hoc fecisse Deum Patrem, primam in Divinis Personam, non vna suppetit ad condecentiam ratio,

Quærit Ariſtoteles vnde fiat, vt aliquando proles ſimilior exeat Patri, quàm Matri: reſpondet id ex amore procedere; ſi enim Pater majoris amoris æſtu feratur in generationem, quàm Mater; proles imaginem Patris referet. Concurrebat ad MARIÆ formationem Deus & Natura; ſed hæc debilior, ille fortior: ergo decebat vt Deus characterem ſuum MARIÆ imprimeret, id eſt, in potentia brachij ſui & amoris ſanctitatem Immaculatam. Secundò conſentaneum erat, vt Pater talem produceret Filiam, qualem in Ideis ſuis ab æterno habuerat: & aliqua ratione conformiter ad generationem Filij æterni ſui Verbi: de quo dicitur: *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum: ex vtero ante Luciferum genui te.* Pſal. 109. Ergo etiam MARIA debuit ſic prodire, vt *principium virtutis in ſplendoribus Sanctorum & ante Luciferum*, prioritate excellentiæ & dignitatis: atque adeò vt Filia Patris, tota ſplendida, tota Sancta, & Immaculata.

Quod ad Filium in Divinis, cui Sapientia tribuitur planè etiam æquum erat, vt MARIA, futura ejus Mater, omni macula & nævo originalis peccati careret: neque enim Mater illi contigit caſu, ſed libera, ſpontanea, prudentique electione & ab æterno. Fac tibi detur facultas Matrem, ex fœminarum numero, quam velles, eligere, inquit, Poëta Chriſtianus:

Quæ potuit naſci Virgo, fuiſſet anus?

Secundò, vt decuit Chriſtum naſci nulli fœditati & opprobrio obnoxium: ſapientiæ quoque ejus fuit cavere id ſedulò in Matre: quia vt aiunt Iuriſconſulti: *partus ſequitur ventrem.* Et ignominia parentum in filios recidit: contra vt ſcribit D. Hieronymus: *Nulli* Epiſt. ad *dubium eſt quin totum ad laudem Chriſti pertineat quid-* Euſtoch.

quid Genitrici suæ impensum fuerit, ac solemniter impletum. Consentit huic opinioni S. Thomas, qui de MARIA Matre Dei agens, ejusque electione ad tam sublimem dignitatem, asserit conveniens planè fuisse, vt immunis esset ab omni paccato veniali, *Quia*, inquit (ejus sunt verba) *non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando venialiter.* Vbi facile est subsumere ex mente S. Thomæ; ergo fatendum, quod non fuisset idonea Mater Christi, si peccasset originaliter in Adamo: quia longè enormius, fœdius ac detestabilius est peccatum originale in anima, quàm peccatum actuale veniale: nullus est qui istam sequelam non admittat; & per consequens, quod non fuisset idonea Mater Christi, si istam labem peccati originalis incurrisset: noxa enim venialis non privat hominem gratiâ, relinquit illum Filium Dei, & hæredem regni cœlestis. peccatum verò originale constituit filium iræ, mancipium Diaboli, exosum Deo, &c.

3. part. quæst. 27. art. 4.

Præterea quidni ab vmbra ad lucem liceat argumentari? MARIAM adumbrarunt in veteri lege Arca Fœderis, quam auro mundissimo convestiri voluit Deus. Templum Salomonis, ejusque Sanctuarium, in quod soli summo Sacerdotis apud Hebræos introitus permissus erat, & non nisi ritè, & secundum ceremonias legales perpurgato. Quid modò si sordes & fimum in veram Arcam & Templum, imò & Sanctuarium permisisset inferri IESVS CHRISTVS; in quod ipse verus Pontifex intraturus erat? nunquid hoc vmbras curare est, & rem ipsam aut negligere aut floccipendere? Quis hoc cum Sapientia Filij Dei cohærere affirmare possit?

Convenienter etiam ad Sapientiam Verbi Divini spectat, quod scriptum reliquit S. Anselmus. *Decuit*

Lib. de Concept. Virg. cap. 18.

Virginem ea puritate nitere, quâ major sub Deo nequit intelligi. Notanda sunt verba Anselmi, *sub Deo*, non *sub cælo*, vt aliqui perperam verterunt: scilicet vt puritas MARIÆ major fuisse probaretur etiam Angelorum puritate, qui primo instanti suæ creationis, gratiæ dono ornati apparuêre. Decuit ergo, vt dicit Anselmus puritatem Virginis majorem fuisse Angelicâ; ergo sine peccato originali.

Sapientiam quoque Verbi Divini commendat pro præservatione Deiparæ Virginis ab omni peccato, locus Davidis: *Adjuvabit eam Deus manè diluculò.* Quid amabò ista repetitio ejusdem nominis? *manè diluculò.* Quidam in eo mysterium agnoscunt. Sunt enim nonnulli è Sanctis, qui divinâ gratiâ festinante, atque adeò *manè* sanctificati fuêre; inque materno ipso vtero, vt Ieremias, & Ioannes Baptista: sed ad solam Virginem MARIAM ita festinavit gratia, vt peccatum prævenerit etiam originale. Ideò bene dicitur Verbum Divinum adjuvisse *eam manè diluculò.* Est nobilis Hortulanus, qui in horti cultura delitias suas habet; maximè in citreis arbusculis fovendis & educandis. Interim pruina exoritur antelucana solitò frigidior, quæ citria mala omnia momentò perstringit & decutit. Quçritur Hortulanus Nobilis apud amicum, eique brumæ frigidioris flagitia, stragemque citriorum ostendit. Mox hunc tamen in cubiculum interius admittens; miratur ille citrium malum integerrimum, ac pulcherrimum prostans in abaco; & inquit, si stragem citriorum omnium deploras; vnde illud emersit? Respondet alter: ne mireris, obsecro, neúe mendacium mihi adscribas: quod vides citrium, ante pruinam decerptum est. Ita MARIA pruinam originalis peccati antevertit: præventa est eâ

Psal. 45.

 gratiâ,

gratiâ, quæ nulli Sanctorum præstita est, atque adeò *Adjuvit eam Deus manè diluculò.*

Denique vt ad tertiam Personam SS. Trinitatis, veniamus, id est, ad Spiritum Sanctum, cujus character est bonitas & amor: decebat sanè vt id bonitatis & amoris, in MARIAM, vtique Sponsam suam dilectissimam profunderet. De Lollia Paulina Imperatrice apud Romanos, quæ solita erat in publicum procedere innumeris lapidibus ac gemmis pretiosissimis ornata, vt millionem auri circumferre diceretur: mirantibus reddidit Imperator: *Quantò illa pulchrior & ditior, tantò ego admirabilior.* Ita Spiritus Sanctus se admirabilem reddidit in B. Virgine, quam Immaculatè conceptam, omnibus donis & charismatibus suis exornavit. Enimverò ita Sanctam reddidit Deiparam Virginem, vt potiùs sanctificatio ipsa, quàm Sancta dicenda sit. Quærit S. Epiphanius ad id quod dico, cur Deus non indulserit Matri suæ, vt Sacramenta Ecclesiæ Fidelibus administraret: Respondet: *Non hoc permisit Deus, sed solùm ipsam sanctificationem esse voluit.* Verè vnus IESVS & Spiritus Sanctus omnium creaturarum sanctificatio est, & fons totius Sanctitatis: sed is Matrem, & hic Sponsam suam ea puritate & sanctitate complevit, quâ videretur non tam sancta, quàm ipsa sanctificatio, & per quam innumeri sanctificantur. Additque Novarrinus jure hoc titulo *Sancti*, gaudere Spiritum illum Divinum, quando MARIAM obumbravit; quia ex illo tempore præcipuè vberiorem sanctificationis gratiam in homines effudit.

Lib. 3. Harm. cap. 79.

Lib. 4. in vmbra Virg. n. 530.

Quid quod curiosè satis proponit Hugo de S. Victore, quæ causa fuerit, cur diabolus intraverit serpentem, vt tentaret Evam? quandoquidem Columbæ mi-

nisterio suaviùs omnino & accommodatiùs ad tentandum illicium fuisset. Respondet quod diabolus libenter columbam intrasset, si permissum illi fuisset à Deo: non autem permissum illi fuit, *Ne formam columbæ in quâ aliàs Spiritus Sanctus venturus erat odiosam faceret*, inquit Epiphanius. Sic diabolum per peccatum originale in MARIAM Columbam mitissimam non descendit, in quam descensurus erat Spiritus Sanctus, suâ gratiâ ac virtute illam obumbraturus; ne odiosa Deo per maculam originalem, vel brevissimò tempore haberetur: Itaque æquum erat & condecens tribus Personis Divinis MARIAM Immaculatam creare, vt triplici charactere Sanctissimæ Trinitatis, à tribus Personis Divinis potentiâ, sapientiâ, bonitate & amore decoraretur; essetque admiranda Angelis & hominibus puritate ac sanctitate, quàm proximè à Deo mutuare licet.

§. 3. *Quæ praxis & modus colendi* MARIAM *sub titulo Immaculatæ.*

NOn infimi & plebæi, sed Pontifices maximi, ipsa Orbis Capita, in hoc nobis præivêre: A Sixto IV. composita Oratio, quotidieque recitanda, vsui esse potest: quam & vndecim millium annorum Indulgentiâ dotavit: hæc autem est. *Ave SS.* MARIA, *Mater Dei, Regina Cæli, Porta Paradisi, Domina mundi. Tu es singularis Virgo purissima: tu concepta sine peccato originali, & ideò immaculatissima. Tu sine macula concepisti* IESVM *Salvatorem: Tu fuisti verissimè ante partum, in partu & post partum inviolata & illibata. Fac me tuis sanctis precibus, purè, piè, & sanctè vivere; & ora pro nobis* IESVM *Filium tuum dilectum, & post mortem*

me suscipe: ab omnibus malis mentis & corporis libera me, & alios fac me liberare, opera misericordiæ acquirere & in gloria Paradisi in æternum tecum gaudere. Amen.

Vtile etiam & facile fuerit, quotidie pio affectu recitare hanc Antiphonam & Orationem, à Paulo V. Pontifice commendatam.

Antiph. *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.*

Vers. *In Conceptione tua, Virgo, Immaculata fuisti.*

Resp. *Ora pro nobis Patrem cujus Filium peperisti.*

OREMVS.

DEus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus, vt sicut ex morte ejusdem Filij tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire digneris. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum, &c.

Et hæc quidem verba: *In Conceptione tua Virgo Immaculata fuisti: ora pro nobis Patrem cujus Filium peperisti*: in charta exarata, & in stomachum devotè & cum fide transmissa, pluribus opem tulisse. Frater Clemens de Osuno Cappucinus, & Cappucinarum in monte Quirinali Confessarius, & tres ibidem Moniales jurata fide affirmarunt, Sororem Columbam multum Opis expertam esse, cum ejuscemodi schedulas deglutivit, amore & fide in Virginem. Quippe hæc extremis calculi latus exulcerantis doloribus in rabiem acta ea egit, quæ solet furialis dolor. Vbi ad se redijt, vnam ex istis schedulis glutivit: cum Confessarius Antiphonam & Orationem de Immaculata Conceptione, ex Vesperis Festi illius, juxta vsum Ordinis Cappucinorum recitavit: & sæpe repetitis dictæ schedulæ inscriptis verbis,

alijſq́ue precibus, in virtute Immaculatæ Conceptionis magnæ Matris, petræ ceu calculo imperavit vt exiret. Abijt deinde ad matutinum, tribus illis juratis Monialibus apud ægram relictis: quæ minore longè, quàm vnquam fecerat hactenus, dolore tres calculos egeſſit. Eorum primus minoris, alter majoris fabæ inſtar fuit: tertium columbini ovi confracti mole parem fuiſſe aiunt. Schedula quam glutiverat, duobus poſterioribus calculis circumvoluta & ſalva omnino exivit: ita vt reliquis partibus involutis ac latentibus duo hæc verba *Immaculata* & *Filium* calculo accommodata apparerent; vt planè quaſi ex induſtria ſic ad legendum viſa ſint divinitus collocata. Ita teſtes oculati & jurati affirmarunt.

Rem verò ipſam Hieronymus Petrucius eleganter his verſibus expreſſit.

Virgo laborans calculo chartam vorat,
Conceptio Immaculata quam ſcripto notat.
Charta involutos, quam priùs voraverat,
Duos repentè calculos Virgo parit,
Inſcriptione colligatos calculis
Conceptio Immaculata præcones facit.
Conceptionem labis expertem negas!
Lapides loquuntur: Lapidis hoc verbum ſat eſt.

Expertus eſt in eodem calculi morbo par auxilium adoleſcens Athenſis Iacobus Crocquè anno 1653. de quo & teſtis ſum. Fuerat is ab annis octo graviſſimis calculi doloribus excruciatus, & præcipuè vltimo trimeſtri: ita vt ferè continuò miſerabiles tanquam è tortura voces & clamores emitteret, totamq́ue viciniam horrore & commiſeratione impleret. Et hi clamores me excitarunt ad ferendum opem quoquo modo poſ-
ſem:

ſem: animavi igitur adoleſcentem ad fiduciam, Romanis exemplis in Deipara Immaculatè concepta; ſimulque inſcriptas à me ſchedulas, vt ſupra tradidi, glutiendas contra calculum, Virginis opem, per Immaculatam ſuam Conceptionem invocando; quod fecit inſtititque duabus novenis piè & conſtanter, auxiliatricem Virginem Immaculatam invocando. In ſingulos dies dolores imminui & æger magis ac magis levari cœpit. Decimo tertio die expergiſcens miratus eſt calculum ad collum veſicæ deſcendiſſe: quem explorans Chirurgus ovi Gallinacei inſtar eſſe affirmabat: addebatque vel adoleſcenti moriendum, vel ſectionem ſubeundam. Pergere interea in cœpto devotionis exercitio Iacobus, & majori fiducia, quàm potuit à me animatus: & ecce decimo octavo die lapide diſſoluto, & per minutiores partes & arenas, vnà cum vrina citra dolorem ejecto, perfectam ſanitatem conſecutus eſt; & in Templo noſtro Athenſi, Euchariſtica communione, Deo, Deiparæque ſine macula conceptæ grates egit.

Alia denique praxis eſt recitatio quotidiana Officij parvi Immaculatæ Conceptionis, cujus initium eſt: *Eia mea labia nunc annuntiate laudes & præconia Virginis Beatæ.* Hoc ſibi gratiſſimum eſſe, ipſamet puriſſima Virgo devoto famulo ſuo Alphonſo Rodriguez è Societat. IESV indicare dignata eſt: & multi ſunt qui hodie idem exercitium ferventer, atque vtiliter obeunt? multiſque etiã profuit vſitata hæc formula, pio affectu prolata. *Benedicta ſit puriſſima & Immacula Conceptio Beatæ Virginis* MARIÆ. Affirmat Magiſter Ioannes Davila, magnus in Hiſpania doctrina & pietate vir, idque multorum experimento, Immaculatæ Conceptionis cultum, inſigni eſſe præſidio contra tentationes impuras.

Quidni

Quidni ergo ſæpius Immaculatam nominemus ac prædicemus? & ex 444. Anagrammatis, à Ioanne Baptiſta Agnenſi inventis, ſuper hæc verba Sacro-Sancta Salutationis Angelicæ: *Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.* quod prodigij inſtar Romæ, ac toto orbe viſum eſt, veluti Roſarij in modum contexamus? maximè illa Anagrammata quibus hoc vocabulum, *Immaculata* repetitur: illa ſubjicio adſcriptis numeris.

1. *Io Regina, pura, munda & Immaculata es.*
2. *Ego ſuperna, Immaculata, Divina Mater.*
3. *Ego aurum nitens, Immaculata Deipara.*
4. *Ego mitis, pura, Immaculata, veneranda.*
5. *Vna ſemper Immaculata, Virgo Dei nata.*
6. *Deipara auguſtè Immaculata nominer.*
7. *En Virgo, en Deipara ſum, at Immaculata.*
8. *Vivam Deo integra, Immaculata Parens.*
9. *Deipara inventa ſum, ergo Immaculata.*
10. *Vna eſt Deipara Virgo, en Immaculatam.*
11. *Vna eſt Immaculata Virgo, en Deiparam.*
12. *En Virgo nata Diva, ſemper Immaculata.*
13. *En Virgo pariet Deum, ſana, Immaculata.*
14. *Virgo veneranda, ipſamet Immaculata.*
15. *En pura Dei amans & Immaculata Virgo.*
16. *Age Numen paris, ô Diva ter. Immaculata.*
17. *Purè Immaculata es, nam Virgo Dei nata.*
18. *Ingenua, provida, Mater Immaculata es.*
19. *I, Regum Patrona, en Diva Immaculata es.*
20. *Vna Deo Immaculata es, Mater puri agni.*
21. *Eia ergo pura, munda, Immaculata nites.*
22. *I, Virgo ſanè munda, apertè Immaculata.*
23. *Sanè digna, meritoue pura Immaculata.*
24. *O vera Immaculata, Dei gnatum pariens.*

Q 25. Tu

25. *Tu parens veri Dei, ô magna Immaculata.*
26. *Age patrona mundi jure Immaculata es.*
27. *En tu Immaculata es, nam Virgo Deipara.*
28. *Tu jure Immaculata es, ô magna Dei parens.*
29. *Eia munda Parens & Immaculata Virgo.*
30. *Tu ergo Immaculata, nam Deipara venis.*
31. *O* IESV, *en digna Mater, pura Immaculata.*
32. *Roma, en diva Parens Immaculata viget.*
33. *Agite, en rosa pura dumi, en Immaculata.*
34. *Virgo sanè permanet Diva Immaculata.*
35. *Jure ô nata anguem perdis Immaculata.*
36. *Integra Deum paris nævo Immaculata.*
37. *Pura enites, ô Regina mundi Immaculata.*
38. *En tu Immaculata Deipara Virgo manes.*
39. *Virgo serena pia, munda & Immaculata.*
40. *Io, Agna Immaculata, en parturies Deum.*
41. *Eniteris Deum, ô Agna, pura Immaculata.*
42. *Euge munda, sine pari orta Immaculata.*
43. *Iure munda pates, ô Regina Immaculata.*
44. *En paritura es Agnum Dei, ô Immaculata.*
45. *Vige ô sanè munda pariter Immaculata.*
46. *Agni aurea domus in te, per-Immaculata.*
47. *Una paries Deum, ô integra Immaculata.*
48. *Virgo amanda, purè enites Immaculata.*
49. *Vitam nudè paris, næ ergo Immaculata.*
50. *Tu Regina Diva, nempe rosa Immaculata.*
51. *Eva purior Adam, ingens & Immaculata.*
52. *Divina ope regnas, tu mere Immaculata.*
53. *Merè nites ô pura Agna diu Immaculata.*
54. *Tu naevo Immaculata, Paradisi germen.*
55. *Virgo nudè animata es, per-Immaculata.*

Quidni ergo Elogia hæc Anagrammatica percurrendo,

rendo, & tot inter *Immaculatas* appellationes occupata mente, nivei quoque affectu & moribus non efficiamur, prout de Leporibus Alpium ſupra memoravi?

Eia igitur pro tanta Virgine proque ejus Immaculata Conceptione, ſtringamus arma, ſtylum, inquam, calamum, vocem; vt talem MARIAM fuiſſe gloriemur, & publicè Immaculatam proſtetemur. Præïverunt in hoc devotionis obſequio, regna, Provinciæ, Vniverſitates, ad quas nuperrimè acceſſit Duacenſis in Belgio noſtro, anno à Nativitate Chriſti 1662, à prima Inſtitutione ſua centeſimo: vt ſic geminatâ lætitiâ Erectionis & Conceptionis Immaculatæ, ab Alexandro VII. Pontifice recenti Bulla confirmatæ, Iubilæum à tota Vniverſitate Duacenſi ſolemniùs agitaretur. Expoſita eſt ad hunc finem Statua Deiparæ per-elegans, cui ſupplicatione generali, Sacro ſolemni, cereo, feſtivis ignibus; denique verſu honor publicè exhibitus: in quo inter alia hæc habebantur.

Supplices feſto veneramur anno
Mentis auguſtum decus, atque purum
Labe Conceptum repetita firmant
Vota tuendum.
Quina Tu ritu Dominam Facultas
Publico inclamat, precibus Patronam
Ambit effuſis; faveas dicato
Diva Lycæo.
Teſtis ardorem rutilante flamma
Cereus ſignat, niveoſque ſenſus;
Signat & zelum Tibi, quo tuorum
Pectora fervent.
Docta Sculptoris manus æviternis
Iconem ſæclis dedit, vt Palæſtræ

Publicæ præsis, & amoris index
Vivat Imago.
Cerneris victrix, domina superbum
Calce serpentem terere, atque fœda
Peste contacto nihil ista ferre
Lilia mundo.

Postquam è D. Amati Templo processum est solemni pompa pedestri & equestri, quæ Philippi secundi Regis Catholici, qui Academiæ Duacensis primus Institutor fuit, curiam adumbrabat: cùm ad Scholarûm plateam deventum est, vbi ad publici Collegij faciem Statua prostabat: decantato illic à Musicis MARIANO Cantico: D. Rector Magnificus ex eminentiori loco, & ad sacram Imaginem reverenter conversus; conceptis verbis, & ex charta lectis, ita Virginem compellavit. SANCTA MARIA *sine peccato originali concepta, Virgo Dei Mater semper intacta. nos Rector & Universitas Studij Generalis Oppidi Duacensis, Te hodie in Dominam, Patronam, & Advocatam ac Præsidem perpetuam vno ore, & animo eligimus: parati Tuam sine macula Conceptionem, vnà cum Sanctissimo Domino Papa nostro Alexandro VII, ita adhortante, cum vniversi orbis majori jam parte ita sentiente, vbique terrarum palàm asserere semper ac tueri. Ita tu vicissim rege, doce, protege, & sine macula nos, Tuosqúe Academicos Duacenses conserva: dum in cælum Filij tui regnum, in quod nihil incoinquinatum intrare poterit, aliquando admittamur. Amen..*

Quæ Solemnitas maxima ad ædem D. Petri deflexa, cum sacro solemni, concione ab vno ex Ordine Seraphico Capuccinorum habita, finem accepit.

Eluxit etiam festivissimus ardor Insulensium in honorem

norem Immaculatæ Conceptionis MARIÆ anno 1657. cùm in ea Civitate, jam pridem Deiparæ Virgini publico voto ſacra, ac devotiſſima: exarſit lectiſſima Iuvenum primariorum vrbis Sodalitas, ſub titulo Purificatæ Congregata, apud Patres Societatis IESV; qui novo in Virginem amore, communique conſenſu ſtatuerunt ſeſe vnanimiter ac publicè devovêre Immaculatæ Virginis Conceptioni: ejuſdemque honori conſtanter tuendo ac propagando. Solemnitas autem hæc prima, anno ſupradicto, talis fuit. Templum Societatis, quod Immaculatæ Virgini dicatum eſt, totum quà patet ampliſſimè collucebat cereis candidis: ſcutoque argenteo in quo hæc verba legebantur: *Ave Maria Immaculatè Concepta.* Pridie ſub veſperam Campanæ omnium Eccleſiarum vrbis feſtiviſſimã harmoniam edidêre; quod ſequenti die iterum, iterumque factum eſt. Supra ingens candelabrum, quod mediam templi aream occupat, proſtabat hæc Epigraphe Chronologica.

DeI*para* sI*ne* M*a*CVL*a*.

Sparſæ præterea per totam vrbem chartæ impreſſæ; imò etiam templorum omnium valvis, ac foribus domorum affixæ, in quibus hæc erant. *Ave Immaculatè Concepta Virgo Maria.* Vt ſcilicet ea, quæ cordibus gerebant, etiam coram omnibus ejuſdem Virginis honorem publicarent. In Sacro, quod ſolemniter decantatum eſt, Præfectus Sodalitatis, cum primarijs candidum cereum prælucentibus; coram Venerabili Sacramento, Orationem ſolitam altè pronuntiavit: addito voto Conceptionem Deiparæ Immaculatam vbique, & apud quoſcumque, prout occaſio tulerit, tuendi conſtantiſſimè; & quotannis in poſterum, ſolennem Miſſam eo fine procurandi: quod ad vſque annum præſen-

tem 1667, non minùs ardenter, quàm piè ac religiosè, ſolemni plauſu & apparatu factum eſt. Anno 1662, quo poſtrema & faventior pro Immaculata Virginis Conceptione Bulla Alexandri VII. prodijt, repetita eſt prima Solemnitas, obſervatis omnibus, quæ vt ſupra memoravi, feſtivitatem illuſtrarunt. Sed illud addo, MARIANÆ pompæ delectum D. Petri Collegiatum Templum: ipſumque D. Cancellatæ Sacellum, quod omnium votis, ac cereis lucentibus exarſit; vbi inter ſplendores, apparuêre hæc Chronica.

DIVa sIne MaCVLa.

eCCe VIrgo haC ConCepta sIne MaCVLa.

DeLICtIs eXeMpta.

eXeMpte De peChé orIgIneL.

Ibit ergo in ſæcula, inter Deiparæ dicatos populos, Liliorum vrbem, Inſulenſem intelligo: cujus inſigne eſt, Lilium argenteum puniceo in ſcuto, pro B. Virginis Immaculata Conceptione, dum hoc Feſtum annuum tanto cum apparatu aggreditur; civium ſuorum ſaluti, ac poſterorum, qui hac in vrbe naſcentur, felicitati ſtuduiſſe.

Audeamus & nos in arenam deſcendere, & ejus Immaculatam Conceptionem magnis animis & amore calentibus profiteri: quando ipſamet, pro qua certamus, victoriam ſpondet. Sic olim Ioannes Duns Scotus ex Ordine Seraphico, à B. Virgine pro ipſa ejuſque puritate Immaculata diſputans adjutus eſt circa annum 1300. Res ſic ſe habet. Academia Pariſienſis, ſive Mauritij Epiſcopi decretum ſecuta, vt quidam volunt: ſive ob aliam cauſam, tempore Alberti Magni ſanciverat, ne quis B. Virginem abſque originali peccato cõceptam fuiſſe doceret. Exortis inde maximè inter Franciſcanos

nos & Dominicanos gravibus diſſidijs, ac tumultibus, cum cœpiſſet in priori ſententia dubiè nutare, celeberrimàmque famam ingenij ac doctrinæ Ioannis Duns Scoti ex Ordine S. Franciſci, Immaculatam Deiparæ Conceptionem, in Anglicana Academia Oxonienſi publicè profitentis intellexiſſet: cenſuit eundem, vt ſuper hac controverſia in Sorbona diſſereret, ac diſputaret invitandum. Iuſſu quoque Summi Pontificis, id temporis Avenione reſidentis, ſtatutum erat, vt coram Legatis Apoſtolicis, ad ſedandam poteſtatem ſolennis diſputatio in Academia Pariſienſi inſtitueretur. Venit itaque Lutetiam Scotus: cumque jam die præſtituto ad locum diſputationi deſtinatum pergeret: conſpicatus ante ædes collocatam Deiparæ ſtatuam, flexis humi genibus Divam ſalutavit his verbis: *Dignare me, laudare te, Virgo ſacrata*; Statua autem caput inclinante, viſa fuit pijſſima Mater favorem, & auxilium addicere. Diſputavit certè eò ſucceſſu, vt & ipſe glorioſa *Victoris* & *Doctoris ſubtilis* nomina retulerit; & Sorbona vetus decretum ſuum abrogarit. Narrationis hujus Auctores, præter alios antiquos, ſunt Baltazar Perenno; Lezana; Wadingus in vita Scoti cap. 8. vbi ait ita ferè communem Pariſienſium traditionem, ipſamque Imaginem in hæc vſque tempora permanere capite inclinato.

Lib. 6. de Concept c. 6. In Apolog. cap. 11.

LITERA

LITERA

L.

LIBER CHRISTI.

Liber generationis IESV CHRISTI, Matth. 1.



Aria est horum verborum Evangelistæ Interpretatio. Qui magis literæ adhærent; per *Generationem* Genealogiam Christi intelligunt, id est; seriem progenitorum, ex quibus ortum habuit ex MARIA Virgine secundum carnem. Alij per *Generationem* Christi, virtutum actus accipiunt: sicuti de Noe dicitur: *Hæ sunt generationes Noe: Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis.* Sunt tamen qui & mystico sensu per *Librum Christi*, B. Virginem interpretantur, tanquam exemplar quoddam expressum vitæ Christi: itemq; ex hoc Album Electorum & prædestinatorum ad vitam æternam. Ita sensêrè Gregorius Nicomediensis, [a] S. Damascenus, [b] S. Epiphanius, [c] Richardus à S. Laurentio & alij.

Gen. 6.

a Orat. 2. de Assumpt. b De Laud. B. Virg. c In cap. 1. Matth.

§. 1. *Quæ materia & forma hujus Libri.*

§. 2. *Quæ mysteria in eo scripta sunt, etiam ad mores.*

§. 3. *Necessitas & vtilitas hujus Libri.*

Librorum ab orbe condito ingens sanè est numerus. De Ptolomæo Philadelpho Rege Ægypti, refert Polydorus Virgilius habuisse in sua Bibliotheca libros quinquagies mille ducentos. Abs eo tempore ad nostram

Lib. 2. c. 7.

vsque

vſque ætatem, Librorum & Scriptorum feraciſſimam, nemò non poteſt, ſaltem animo colligere, quàm ingens modò per totum orbem, Librorum ac voluminum copia & apparatus. Cæterum non vna eſt quorumvis Librorum & dignitas & æſtimatio: ſive quis materiam, aut formam conſideret: ſive Scriptoris authoritatem ac pondus. Cælum ipſum nobis, vt volumen repræſentat Scriptura ſacra, & in eo ſtellas vt characteres aureos, quas Pyſides Philoſophus appellat Οὐρανόδη γράμματα, *Cæleſtes literas*: eo Libro quotidie vtebatur S. Antonius Eremitarum parens. De hoc etiam exclamat S. Thomas à Villanova: O, *quàm decora litera Sol! quàm pulchra litera, Luna & Stellæ.* Ser. 1. de S. Auguſt.

Sed vt ad MARIAM propriùs accedamus, vt ad Librum myſticum, de ea ſic ſcribit S. Damaſcenus: *Hodierno die, is qui omnia fecit Verbum, quod Pater è pectore eructavit, Librum novum condidit, B. inquam Virginem* MARIAM, *Dei lingua à Spiritu Sancto, tanquam calamo quodam in ipſo conſcribendum.* Quàm meritò huic cedere debent Libri vniverſi! cum enim Deus alijs Libris ſuas inſcripſerit qualitates: in hoc, vt ab oculis noſtris mortalibus legi & videri poſſet, ſemetipſum deſcripſit. Vnde S. Epiphanius B. Virginem alloquens ſic ait: *Tu Liber incomprehenſus, quæ Verbum & Filium Patris mundo, legendum exhibuiſti.* Ser. 1. de Nat. De Laud. B. Virg.

§. 1. *Quæ materia & forma hujus Libri.*

Librorum origo & vſus, quod ad materiam attinet, non vnus fuit ab initio. Primò enim tenuiores arborum cortices ſcriptioni ſerviêre: tum & papyrus Ægyptiaca, quæ herba eſt junco non abſimilis; exinde

detractæ. animalibus pelles, ſiccatæ & expolitæ: inde pergamenum, ſive charta pergamena, ita dicta à Pergamo inſigni Aſiæ vrbe, vbi primitus adinventa fuit ab Attalo Rege. Sic appellat D. Thomas à Villanova B. Virginem: *Vterus*, inquit, *Virginis eſt charta pergamena, quia ex omni parte, & affectibus naturalibus mortificata.* Quæ pariter quoniam candidiſſima eſſe debuit, auſus eſt appellare S. Ephrem, *Chartam diviniſſimam.* Et verò æquum erat vt primæ impreſſioni Verbi Domini, ab æterno factæ in ſinu Patris: reſponderet ſecunda impreſſio ejuſdem Verbi per Incarnationem & operationem Spiritus Sancti in vtero MARIÆ. Atque adeò vt prima ſanctiſſima fuit; ita & ſecundam puriſſimam, atque Immaculatam eſſe oportebat.

Conc. 1. de Nat Virg.

De Laud. B. Virg.

Ad hoc Caſſiodorus Deiparæ Virginis vterum, vbi conceptus eſt Filius Dei; & quaſi ſecundò impreſſum Verbum Divinum & humanizatum fuit, appellat *Viſcera nivea*: aptiſſimo ſanè epitheto: Niveus enim & non alius fuit candor, ac puritas Beatiſſimæ Virginis MARIÆ: quippe candor nivis naturalis eſt, atque ab aliarum rernm dealbatarum candore longè diverſus. Cum enim nix & alia naturaliter alba & candida, ſemper candida; nunquam verò impura & defædata fuerint: è contra quæ per artem candida facta ſunt, priuſquam candore & albedine iſta imbuerentur, conſpurcata & impura fuerunt. Candor autem Virginis MARIÆ niveus fuit, *Viſcera nivea*: vtique naturalis non artificialis, ſine vlla prævia macula & fœditate; vt ſic digna magni Dei magna Mater exiſteret. Puritas illius non fuit ejuſmodi, qualis eſt illa cæterorum Sanctorum, poſt macularum & fœditatum expurgationem à Divina gratia introducta: ſed ab initio animæ ſuæ innata, ſine vlla fœditate originalis

originalis peccati, ſemper alba, ſemper candida, ſemper nivea: imò ipſamet *Nive candidior* inquit D. Hieronymus.

Adumbrata fuit præſervatio hæc à labe originali, in facto Iulij Cæſaris, vt refert Eutropius. Is enim ad Alexandriam, in oppugnatione pontis, irruentibus ſubitò turmatim hoſtibus, multiſque vtrimque ex ponte cadentibus: cum ad ſcapham deſcendere compulſus, eam apprehendere non poſſet: Commentariorum volumine apprehenſo, vna manu ſurſum elevata, ne aquis inficeretur: alterâ ad natandum occupatâ per ducentos paſſus ad navem incolumi Libro, & aquis ne quidem madefacto pervenit. *Epitome de bello Iudaico.*

Quod ad formam hujus Libri ſpectat: fateor quidem hunc parvum eſſe, adeoque Librum, non codicem, quem multa volumina complecti, ait S. Iſidorus; Librum verò vnius eſſe voluminis. At inquies, quomodo parvus hic Liber, cum in eo exaratum ſit Verbum Divinum à Spiritu Sancto; immenſum illud, quod totus mundus capere non poteſt? Reſpondeo nihil hîc mirandum eſſe, propterea quod Spiritus Sanctus hujus Libri auctor eſt, cujus eſt mirabilia in hoc mundo & facere & ſcribere. Fuit ergo Liber ob parvitatem miraculoſus. Narrant Hiſtoriæ Librũ extitiſſe in Bibliotheca Conſtantinopolitana, cujus folia draconis cujuſdam viſcera erant: in cujus inteſtinis deſcriptæ erant Homeri Ilias & Odyſſea. Ferunt & alium fuiſſe, qui opera ejuſdem Poëtæ omnia, ita ſuccinctè & compendiosè deſcripta continebat, vt illum vnius nucis avellanæ cortex complecteretur. Celebratur & denarij orbiculus, qui in vna parte, clarè & diſtinctè ſine cifris & abbreviaturis deſcriptum exhibebat Evangelij S. Ioannis caput primum:

mum: in altera verò Symbolum Apostolorum. Sed longè plura habemus in hoc Libro, licet exiguo, vnde inter prodigia jure merito locum occupare debet.

Auget admirationem quod hic Liber, & parvus & grandis simul dici potest: juxta illud Isaiæ: *Sume tibi Librum grandem & scribe in eo stylo hominis*: id est, claro ac visibili charactere. Sed vnde obsecro Librum hunc grandem appello, quem ante paruum dixi, ipsiusmet Virginis MARIÆ testimonio; dicentis: *Respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Ratio hæc adferri potest, grandem appellari, ob literarum eidem Libro impressarum magnitudinem, virtutes inquam MARIÆ: de quo sic scribit Richardus à Sancto Laurentio: *Ideò Liber grandis*, inquit, *quia scriptus est grossis literis: siquidem* MARIÆ *innocentia vna est grossa litera; sic & ejus humilitas, virginitas, fœcunditas, paupertas, charitas, misericordia, pietas, patientia & ejusmodi. Singulæ enim ipsius virtutes, literæ sunt istius Libri: secundum id quod ipsamet in se agnoscit & fatetur: fecit mihi magna qui potens est, & Sanctum nomen ejus.*

Cap. 8.

Ser. 2. de Nat. B. Virg.

Concurrunt præterea ad formam Libri ornamenta extrinseca: hinc videmus plerumque Libros coloribus varijs depictos & coloratos: quin etiam auro, argento & gemmis quandoque ornatos. Cum enim in se res pulcherrimas contineant: dignum est, ad indicandam venustatem interiorem, vt exteriùs quoque pulchri appareant: *Vt literarum sacrarum pulchritudinem facies desuper decora vestiret*, inquit Cassiodorus. Vbi rationem adfert cur Libri sacri communiter deforis sumptuosissimè, quoad fieri potest, exornari soleant Tales tempore S. Hieronymi Libri Ecclesiastici erant: *Habemus*, inquit, *Divinos Libros auratos, purpuratos & gemmarum*

De Divin. Lect. c. 30.

Lib. 2. c. 8. in Zachar.

marum varietate distinctos. Vnde quia in Libro Beatissimæ Virginis, Verbum illud Sacro-Sanctum exarandum erat, per quod omnia Sacra sunt & Sancta; cujus venustas omnem pulchritudinem & speciem incomparabiliter superat: conveniens omnino erat, vt ipsa quoque omnem haberet decorem, omnesque pulchritudines & excellentias omnibus alijs sanctis concessas: idque cum aliqua super-eminentia, prout de facto quoque habuit: *Voluit siquidem Filius*, inquit Richardus à S. Laurentio, *vt de omni Sanctorum speciositate participaret Mater sua; imò universam Sanctorum pulchritudinem excederet.* Etiam quoad exteriorem corporis speciem; de quo ita Angelus ad Sanctam Brigittam *Procul dubio credendum est, quod sicut ipsius anima*, MARIÆ scilicet, *coram Deo & Angelis erat pulcherrima: ita illius corpus in cunctorum oculis intuentium erat gratissimum.* Quod si aurum & gemmas in hujus Libri ornatu exigas: de auro respondet David: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Si gemmas & lapides pretiosos requiras: aptatur illi quod de Lucifero dicitur, antequam rebellis & sacrilegus Deo fieret: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.*

Lib. 3. de Laud. B. Virg.

In Revel. cap. 13.

Psal. 44.

Ezech. 28.

§. 2. *Quæ mysteria in eo Libro scripta sunt, etiam ad mores.*

MYsteria vocantur, quæcunque supra mentes hominum sunt, neque eorum intelligentijs facilè pervia: qualia sunt ea, quæ ad Deum, ejusque ordinationes, & Decreta pertinent. Deus bone! quàm multa in hoc Libro MARIANO exarata sunt: de quibus agit Ioannes Gerson, vt videre est apud Benedictum Fidelem:

Ser. de Nat. Christi.

lem: vti & quæ ſupra retuli: refert autem dictus auctor
Apoc. 5. S. Ioannem Evangeliſtam vidiſſe Librum in cœlo ad dexteram Agni, quem quidem Librum nemo videre, nec legere poterat: vnde ipſemet Ioannes effusè & amarè flebat, dicens: *Vidi in dextra ſedentis Librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem: & ego multùm flebam, quoniam nemo dignus inventus eſt aperire Librum, nec videre eum.* Liber hic ſecundum Richardum à S. Laurentio Deiparam Virginem ſignificabat: cujus literæ ob ſummam ſuam vaſtitatem à nemine legi poſſunt, præterquam à Chriſto, & ab ijs quibus eas Chriſtus dignatus eſt revelare. *Nemo novit Patrem*, inquit dictus
Matth. 11. Auctor, cum ipſomet Chriſto apud Matthęum, *niſi Filius & cui voluerit Filius revelare.* Vnde Sanctiſſimus Ioannes, vtpote Beatiſſimæ Virginis Filius amantiſſimus, eique addictiſſimus: quippe cui nihil adeò in votis erat, quàm vt pro majori Matris gloria, virtutes ejus omnibus innoteſcerent, & celebrarentur ab omnibus, eaſdem inexplicabiles videns, inconſolabiliter flebat. *Ego flebam multùm.*

Notandum inſuper, quò pleniùs intelligamus hunc Librum continuiſſe myſteria, clauſum fuiſſe ſeptem ſigillis; cur autem ſeptem præcisè, myſterium eſt: quaſi inſinuaretur nullam inveniri ſcientiam poſſe, quæ altiſſimos ejus characteres legere poſſit, aut intelligere. Sicut enim ſunt ſcientiæ liberales nimirum Grammatica, Logica, Phyſica, Arithmetica, Geometrica, Aſtrologia, & Muſica: ita quoque ſeptem ſigilla erant, characteres Libri hujus omnibus ſcientijs occultantes. Nulla enim illarum per regulas & propoſitiones ſuas admirabilis hujus Libri lectionem aſſequi poterat. Grammatica enim in hoc Libro æternum temporalem, immenſum

sum mensurabilem, immortalem mortalem factum esse conspiciens confundebatur, *Non video*, inquit, Grammatica, (verba sunt Ioannis Gersonis) *qua ratione aut nominum impositione, æternus habere incipiat durationis initium: immensus mensuram. Immortalis impotentiæ, & mortalitatis defectum. Logica* pariter in hoc Libro hominem aliquem cernens, qui simul Deus sit & homo, in semetipsa quoque, ait idem Doctor, confundebatur: vtpote quæ similem in chartis suis non invenit. *Logica*, inquit, *qualiter hic terminus homo, quæ species specialissima est, de pluribus specie & plusquam specie differentibus verificari contingit: hoc prædicabilia mea, hoc prædicamenta non habent*. Physica similiter eo ipso quò dicit: *Si mulier peperit corrupta est: si genuit à viro cognita est. Virginem aliquam parere, aut gignere nequaquam posse: sufficienter se conclusisse, aut persuasisse credit*. Demum Beatissimam Virginem ante & post partum Virginem permansisse conspiciens, præ cœteris maximè se confusam depræhendit, & mysterium testata est.

Vide Noe var in Vmbra Virg. & supra Bened. Fidelem.

Arithmetica simili modo confunditur, dum duas naturas integras & reales in vno supposito Numerari conspicit: *Arithmetica*, inquit Gerson, *contra suam fatetur esse perspicaciam, quod in Deo partium completur numerus, quod duæ in eodem supposito naturæ connumerentur*. Geometria quoque dum corpus aliquod quantitativum, per aliud simile corpus sine divisione, aut ruptura egredi conspicit, incredibiliter confunditur, & præ omnibus alijs admiratur: *Stupet Geometria quantitatem majorem corpore Christi, per aliam vteri virginalis clausi quantitatem absque divisione progredi*, inquit idem Doctor Gerson.

Astrologia

Aſtrologia inſuper quia ordinarios influxus, quos in aliorum hominum nativitate, in infantes derivari opinatur: in divino hoc Infantulo non habere conſpicit, quod reſpondeat quoque non habet: *Nullus hoc loco ſuarum perſonarum calculationem, nullas conſtellationum vires Aſtronomia perpendit.* Muſica denique cãtus Angelicos, Librũ hunc miraculosè explicantes; atq; tam pro majori Infantuli gloria, quàm Matris illum parientis honore, vtriuſque laudes in terra ſuaviſſimè reſonantes: audiens prorſus obſtupeſcit: vtpote quæ ſimilem Symphoniam nunquam perceperat: *Muſica*, inquit idem Gerſon, *nullus priùs in terra Angelicos cantus audierat.* Igitur non aliud continet hoc *Liber Chriſti*, id eſt MARIA, quàm myſteria omnium ſcientiarum, ad cujus characterum magnitudinem humanus intellectus elevari nequaquam poteſt: quod per *ſeptem ſigilla,* quibus ſignatus eſt Liber, nobis repræſentatur.

Addo quod & myſteria contineat in ordine ad mores. Nam vt Filium Dei incarnatum complectitur, & Verbum Divinum Spiritus Sancti operatione, ceu calamo quodam inviſibili exaratum: conſequenter nomen ejus continet quod eſt *Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus,*
Iſa. 7. Matth. 1. vt habetur apud Iſaiam & Matthæum: quod etiam intelligi poteſt, per illa verba Archangeli MARIAM Virginem ſalutantis: *Dominus tecum.* Scilicet vt explicant SS. Patres in mente, & mox in ventre per conſenſum his MARIÆ verbis expreſſum: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Myſteria ſunt ad mores; primò quod per hoc inſinuetur obedientia Beatiſſimæ Virginis, quæ per hoc nomen *Dominus* allecta fuit ad obediendum: ſic Deus daturus legem populo ſuo
Exod. 20. per Moyſen dicebat: *Ego Dominus Deus tuus* & in fine

ſæpe

ſæpe adjiciebat: *Ego Dominus*. Vt innueret nobis tanquam ſervis promptè obediendum, ejuſque præcepta omnia adimplenda eſſe. Oſtendit ergo B. Virgo MARIA perfectam gratamque obedientiam cum ait: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quaſi diceret: cum Dominus ſit, quis eſt qui voluntati ejus refragetur?

Secundò, per hæc verba, *Dominus tecum*, huic Libro MARIANO impreſſa, colligimus MARIÆ preces, quas pro nobis fundit efficaciſſimas eſſe: & plurimùm etiam valere eas, quas fundimus ejus invocatione ſuffultas. Conveniunt ei hæc verba, quæ habentur in lib. Regum, vbi Nathan ad David ſic loquitur: *Omne quod eſt in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum eſt.* Iuſtiùs de Virgine dicitur, cum qua ſingulari ratione Dominus erat. Ad quod accerſo B. Alberti Magni verba: *Dicitur Dominus eſſe cum Virgine, pluſquam cum alijs. Oravit enim Redemptionem Iſrael, vt dicunt SS. Patres, & ipſe dominus exaudivit orationem ejus. Cum ipſa enim eſſe Dominum, vocat Dominum conſentire votis ejus, orationi & operibus ejus; ita vt verum ſit quod dicitur: 2. Reg. 7. omne quod eſt in corde tuo, vade & fac; quia Dominus tecum eſt: Oportuit ergo vt præ alijs, votis ejus conſentiret Dominus, quæ ſic eum ſibi attraxit, vt viſceribus ejus ſe infunderet.* Vt ergo B. Virgo MARIA Deum efficaciter orat, quia ſecum Deum habet; ſic & nos per illam, per quam *nobiſcum Deus* eſt *Emmanuel*: Verbum caro factum in Virginis vtero, & in nobis habitans per gratiam. Vnde Leo Imperator ſic ſcribit: *Acclamemus igitur; Ave gratiâ plena, per te Dominus nobiſcum.*

Lib. 2. c. 2.

In cap. 1. Luca.

Hom. 7. in Annunt.

Tertiò, myſterium eſt in eo quod legamus & dicamus *Dominus tecum*, & non *Dominus in te*; vt intelligamus

mus perfectam fuisse Virginis cum Domino concordiam: ita siquidem B. Bernardus commentatur: *Non dixit Dominus in te, sed Dominus tecum: Deus enim qui vbique æqualiter totus est, per suam simplicem substantiam: aliter tamen in rationabilibus creaturis, quàm in cæteris; & ipsarum aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita enim in solis bonis est, vt etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Sed quamquam ita sit cum omnibus Sanctis, specialiter tamen cum* MARIA; *cum qua vtique tanta ei consensio fuit, vt illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret; ac si de sua Virginisque substantia vnum Christum efficeret, vel potiùs vnus Christus fieret.*

Hom 3. super Missus.

Quartò denique gratissima sunt B. Virgini hæc verba *Dominus tecum*: adeoque legenda sæpiùs, dicenda ac proferenda, cum attentione & devotionis sensu: sicut ipsamet indicavit B. Eulaliæ, prout refert Alnensis Anonymus cujus hæc sunt verba: *Apparuit ei vigilanti B. Virgo Dei Genitrix* MARIA *dicens: Dormis Eulalia? dormis filia? cui illa: non dormio, Domina mea charissima sed à te quæro, cur ad me peccatricem, & indignam venire dignata es, Regina mundi? & Virgo: ne timeas Matrem piam, filia charissima, cui quotidie quàm plurima exhibes servitia; quando me salutas Angelica Salutatione, noli, si vis mihi placere, & magis tibi proficere, deinceps istam Salutationem tam citò proferre. Scias me tunc gaudium magnum percipere, maximè cum dicis:* Dominus tecum, *proximè: ejus gaudij modus inenarrabilis est, quo tunc afficior. Nam tunc videor adhuc habere præsentem Filium meum, sicut cum de me dignatus est nasci, Deus & Homo, pro peccatoribus: quod mihi ineffabile gaudium tunc fuit: ita & nunc cum dicitur mihi,* Dominus tecum.

Pom. Virg. parte 4. art. 3. cap. 4.

cum, *in Salutatione Angelica. Egit gratias Eulalia B. Virgini, quæ magna cum claritate ad cælum rediit.*

§. 3. *Necessitas & vtilitas hujus Libri.*

RESTAT vt de vtilitate ac necessitate hujus Libri aliquid dicamus. Vtilitas ex eo patet quod, vt ante dixi ex Isaia, nomen Emmanuel, ita & nomen IESV in eo scriptum: *De qua natus est* IESVS, *qui vocatur Christus*: Vnde & MARIA jure *Liber Christi* appellatur; cui nimirum hoc nomen adscriptum est: sicuti Libri quilibet inscribi solent nominibus, vt appareat cujus sint. A signatura verò, & hujus nominis inscriptione, magna nobis oritur vtilitas ac proventus. Fuit vir Dives ac Nobilis apud Proregem Peruanum in India Occidentali, cui nomen erat Petrus à Portocarrero: is vt affectum suum erga Proregis domesticos testaretur, dum affatum ejus exspectaret in procætone: nomen suum candidæ chartæ inscribere solitus erat, vt quisquis domesticorum quod vellet adscriberet, certò illud pro donativo accepturus. Habemus in B. Virgine & Librum & chartam candidissimam adscripto nomine IESV: *De qua natus est* IESVS. Ecquid hujus chartæ ac Nominis exhibitione obtinere non possumus? Matth. 1.

Necessitas apparet ex eo, quod nullus Iustorum & Electorum ad vitam æternam elevetur, nisi priùs inscriptus sit in isto *Christi Libro*, qui & inde *Liber vitæ* dici potest. De quibus omnibus illud pronuntiare possumus, quod Christus Apostolis edixit, revertentibus à fuga dæmoniorum, de hoc lætabundis. *Nolite gaudere quod spiritus subjiciuntur vobis; gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis*: vbi est *Liber vitæ*, sive Luc. 10.

Psal 68. viventium, vt legere est apud Davidem, S. Ioannem,
Apoc c.21. & S. Paulum.
Ad Philip. cap. 4.

Eluxit ab annis aliquot, Insulensis populi in ea re publicæ pietatis argumentum, cum præeunte Magistratu, novam & solemnem totius vrbis dedicationem, B. Virgini Cancellatæ apud D. Petrum, quæ ab annis plusqua 400. illius Patrona est, publica pompa & apparatu celebravêre. Inter alia Dedicationis hujus ornamenta, labarum holosericum coloribus atque auro depictum oblatum est, vbi ab vna parte Cancellatæ Virginis effigies; ab altera Liber apertus visebatur, cum hac Epigraphe: *In Libro tuo omnes scribentur*: adumbrata in eo antiqua & illustri Sodalitate, in quam datis adscriptisque nominibus, etiam Infantium; totus populus confluit, diuturnioris vitæ, simulque æternæ felicitatis certo augurio. De quo lubet audire quid metricè conceptum sit.

Psal. 138.

Est quidam, quicunque volet cognoscere Cœtum,
A Cancellata Virgine nomen habet.
Ex re nomen inest: non isto carcere septos
Incursant Stygij noxia turba lupi.
Huc Cheverotus oves, quò duceret, ipse præivit
Pastor, & hoc vixit Pastor ovesque loco.
Nec minor exemplo Maximillane fuisti,
Sic bene Villanos inter habende duces.
Cætera quid referam? hîc ætas inscribitur omnis,
Insulidumque Patres, Insulidumque nurus.
Illic casta gemit defuncto Sponsa marito,
Ceu gemit extincto compare turtur avis.
Ignibus Idalijs procul hîc semota juventus,
Consuit Elysias in sua serta rosas.
Quid quod & avulsus nutricis ab vbere, discit

Ioan. Cheverot. Episc. Torn. an. 1460.

Maximilianus Villani à Gandavo Episc. Torn. an. 1635.

Virgineo meliùs crescere lacte puer?
Néve putes viles titulis accrescere fastos;
Illic scripta ducum nomina multa legas.
Scilicet est aliquid describi hoc Codice: nempe
Si minùs Heroas accipit, ille facit.

Amemus igitur hunc *Librum Christi*, Deiparam Virginem, si quidem velimus in omni virtutum genere progressum facere. Discamus hunc MARIANVM Codicem, vt canit Vates:

Nocturna versare manu, versare diurna.

Curemus sollicitè nomina nostra huic Virginis albo inscribi, si in hac vita & felices, & nobiles, & ex hoc æternitatis candidati esse velimus.

LITERA M.

MYRRHA ELECTA.

Quasi Myrrha electa dedi suavitatem odoris. Eccli, 24.

VIsitavit hortum suum Divinus Sponsus, illucque Sponsam suam invitans, ait: *Veni in hortum meum, Soror mea Sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Cant. 5. Opportunè myrrhæ & aromatum fit mentio: quia myrrha licet amari succi, tamen suavem quemdam odorem exhalat. Præcipuè verò mystico intellectu MARIA Virgo, quæ vt Myrrha ob Christi cruciatus in ejus morte; ex compassione & amoris affectu suavitatem

tatem odoris edidit. Tali Elogio B. Virginem insigniunt Sanctus Augustinus, Damianus, Bonaventura & alij. Ser. 8. de Pass.

§. 1. *Quæ amaritudo vt Myrrhæ, sive quis dolor fuerit B. Virginis in Monte Calvariæ, moriente Filio.*

§. 2. *Quàm jure hinc vocata sit Regina Martyrum.*

§. 3. *Effectus compassionis B. Virginis, non absimilis Myrrhæ.*

Myrrha fruticis genus est, folio Olivæ similis, non vltra quinque cubitos excrescens, succo vnctuoso, sed amaro: qui illita ac perfusa mortuorum corpora à putredine conservat, & quasi immortalitati conscribit. Fluxio ejus prima non ingratum odorem spirat: quæ vel *Myrrha electa*, vel *lacryma myrrha* vocatur: Græcè, *Stacte*. In hoc Virginem adumbratam habemus in Noemi, quæ à peregrinatione Moabitica in Betlheem rediens, amissis marito & duobus filijs: cum ei occurrerent mulieres Bethlemiticæ & & reditum gratularentur, dixit: *Nolite vocare me Noemi, id est, pulchram; sed vocate me maræ, id est, amaram, quia amaritudine replevit me Dominus*. Ita MARIA mara, quia dolorum amaritudine plenissima. Ruth. c. 1.

§. 1. *Quæ amaritudo vt Myrrhæ, sive quis dolor fuerit B. Virginis, in monte Calvariæ, moriente Filio.*

DOloris & amaritudinis mensura, non aliunde sumenda est, quàm ab amore. Amor ipse canalis est, per quem dolor in animam influit, & æquali passu, vt inquit Poëta.

Vivum

Vivum plus dilexisse Biona,
Scilicet extinctum plus doluisse fuit.

Ex hoc Iudæi cum IESVM lacrymantem viderunt in morte Lazari, de ejus amore judicium fecêre; *Ecce quomodo amabat eum.* Ioan. 11. Cum igitur nulla vnquam parens sic filium suum amore prosecuta est, vt MARIA IESVM. licet inde colligere quantùm Myrrhæ & doloris, moriente Christo in ejus animum confluxerit. Inerat profectò B. Virgini erga benedictum suum IESVM, non vnus amor sed multiplex; nempe naturalis, qualem natura ipsa parentibus indere solet: supernaturalis, vt qui Filium suum Deum esse sciebat: Acquisitus, videlicet annorum 30. convictu & conversatione: Amor denique benevolentiæ, complacentiæ, & amicitiæ. Atque hos amores omnes ad calculum reducendo, certum est, in Virgine tam à natura, quàm à gratiâ in summo ac perfectissimo gradu constitisse: quis igitur ex eo non colligat quàm altè hic doloris gladius in MARIÆ pectus maternum descenderit?

S. Amadæus agens de isto MARIÆ dolore, vt Myrrhę hujus amaritudinem exprimat; sic fatur: MARIA Hom. 5. de B. Virg. *in morte Filij passa est vltra humanitatem: torquebatur enim magis in Filio, quàm si torqueretur in se, quia supra se incomparabiliter diligebat id, vnde dolebat.* Auxit MARIÆ dolorem, quod MARIA cruci quam proximè adstans morientem IESVM videret: quippe dolor per sensus haustus, fortiùs cor & animum penetrat; & segnius lædunt absentia, quàm præsentia. Hinc Agar ancilla Abraham, cum vidit Ismaelem Filium emissum ex domo Abrahæ, laborantem aquæ penuria in deserto dixit: *Non videbo morientem puerum:* abjectumque ad pedem arboris reliquit, & longiùs ab eo loco recessit, ne as- Gen. 21.

pectus

pectus filij morientis materna viscera & affectum vlceraret. Non autem sic MARIA; sed *stabat juxta crucem* IESV *Mater ejus*: *Stabat* inquam, ne vllum omninò doloris spiculum, emissum ab aspectu Filij morientis illam frustraret, aut præteriret sine vulnere. Audiendus super hoc S. Anselmus; *Videbat*, inquit, *eum affixum & solvere non poterat: videbat corpus vulneratum, & vulnus ligare non poterat: videbat sanguinem in faciem fluere, & abstergere nequibat: corpus inclinatum & sustentare non poterat; audiebat clamantem*, Sitio, *& aquam saltem ei ministrare non valebat*. Quis igitur ad tam lugubre spectaculum satis apprehenderit, quanto dolore & myrrhâ amarissimâ cor MARIÆ repletum fuerit? vnde ad rem præsentem patheticè ac dolenter S. Bonaventura sic ait: *Aspicio cor tuum, ô Domina, & jam non est cor, sed fel amarum. Myrrham & absynthium video. Quæro Matrem Dei: & invenio clavos, spinas, lanceam, spongiam, acetum. Quæro in cruce* MARIAM, *& invenio sputa, flagella, ludibria & vulnera, quia tota conversa es in ista, vtique plena myrrhæ & amaritudinis.*

Ioan. 19.

In Stim. Amor. de plãctu Virg.

Non inscitè ex affectu Austriaco, id est pio, hanc MARIANI doloris magnitudinem expressit Leopoldus Guilielmus Archidux Austriæ, Princeps pace, bello, ac virtute in paucis inclytus. Siquidem ejus inter actiones Heroicas refertur hoc, à Nicolao Avancino Soc. IESV, ita scribente; *Matri Dolorosæ* (*tum præcipuè cum illo titulo colenda primùm in Templo Societatis* IESV *Bruxellis exponeretur, in publicis Belgij calamitatibus*) *teneriùs affici visus est; hoc ei non minùs religioso, quàm ingenioso in Virginem affectu Chronicon addidit*: Mater ChrIstI DoLoroſa. *Sed quod cogitandos plus animo subjicit, quàm oculis spectandos*

De eiusdem Gestis ac virtutibus part. 1. c. 4.

spectandos afflictæ Matris dolores: est illud ab eodem Archiduce scriptum: sIC DoLet MarIa. *Quemadmodum enim sacer Evangelista cum Filij Dei cruciatus nullis verbis exprimere posset, hoc solum considerandum nobis reliquit.* Sic Deus dilexit mundum. *Ita Serenissimus* Ioan. 3.
Archidux triverbio Matris dolores tam acerbos esse ostendit, vt quidquid de ijs dixeris, plus supersit cogitandum.

§. 2. Quàm jure hinc vocata sit, Regina Martyrum.

EX supradictis facilè est colligere, B. Virginem MARIAM jure meritissimo *Reginam Martyrum* appellatam: imò & *Martyrem Martyrum*. Richardus à S. Laur. Lib. 3. de Laud. Virg.
quærit quid fuerit in martyribus, quod in B. Virgine reperiri non queat. Cruciatus forsitan & tormenta? certè majora illa in Virgine, quàm in Martyribus juventa sunt. Ita quoque S. Anselmus: *Quidquid crudelitatis,* De Excell. Virg. c. 5.
inquit, *inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit aut potiùs nihil comparatione ejus passionis.* Quis enim concipere animo & verbis exprimere possit, quàm sævi, quàm acerbi, atque insuper quàm catervatim dolores in MARIAM sæviêre, amore præsertim tyranno ac pio tortore? *Tantus ejus fuit dolor*, inquit S. Bernardinus Senensis, *vt si in omnes creaturas, quæ pati possunt divideretur, omnes subitò interirent.* Quodque amplius est, vt Theologi quidam affirmant, sicuti Christus virtute Divina humanitati suæ vires addidit, vt tot cruciamenta perferret, nec tam citò moreretur in cruce: simili modo factum est, virtute Spiritus Sancti, vt MARIA adstans cruci duraret patiendo, neque vt ante Filium, aut post ejus obitum moreretur.

At inquies, quâ maximè ratione, aut mortis instru-

mento MARIA Martyr effecta eſt? Reſpondeo primò aſpectu Filij morientis, vt ſupra tetigi: Ad cujus rei probationem exemplum Salomonæ matris Machabæorum citat D. Cyprianus Epiſcopus Carthaginienſis, dum ait: *Tam grande Martyrium præbuit* (ejus ſunt verba) *virtute oculorum, quàm præbuerant Filij omnes tormentis & paſſione membrorum.*

Secundò ſuperat dolor ſanctiſſimæ Virginis Martyrum cruciatus, duratione ſupplicij. Aliquorum enim momento finita eſt vita & dolor: diuturnitas in S. Laurentio ſpectata eſt, de quo S. Leo Papa ſic fatur: *Laceros artus, & multa verberum ſectione conſciſſos, ſubjecto præcipit igne torreri, vt per cratem ferram, quæ jam de fervore continuo vim in ſe haberet vrendi, converſorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior.* Sed quid hoc ad diuturnitatem martyrij MARIANI? quod ſi rectè ratiocinari volumus, triginta tres annos à concepto Chriſto conſtantiſſimè tenuit. Ita enim dolores MARIÆ piè meditatur S. Brigitta. Siquidem ab ipſo primo momento, quo MARIA Dei Mater effecta eſt, ſtatim agnovit & clariùs quàm vlli vnquam Prophetæ, illius Filij ſe Matrem eſſe, qui pati, crucifigi, & mori pro peccatoribus debebat; adeò vt ſingulis horis ac momentis Filij mortem intueretur. *Ideò enim lactans*, inquit S. Brigitta, *Cogitabat quod felle & aceto eſſet potandus in cruce: quando manibus geſtabat, quod futurus eſſet aliquando inter brachia crucis: quando dormiebat, eum mortuum in cruce ac depoſitum in ſepulchro cogitabat: quando oſculabatur, Iudæ oſculum ſibi repræſentabat: quando faſcijs involuebat; funes meditabatur, quibus a militibus conſtringendus erat: quando manu ducebat, ducendum ad tribunalia.* Sic

Hom. de S. Laur.

in omnibus ferè actionibus MARIA crucem & passionem versabat animo & corde sauciabatur. Quidni etiam longiùs procedere iubeat in hoc argumento? Neque enim à concepto dumtaxat Christo, ad ejus vsque mortem duravit hoc MARIÆ martyrium: verumetiam post ejus resurrectionem, dum ipsa inter mortales hanc vitam egit. Enimverò vti ante Christi mortem, ejus futuræ præcognitione vivaci feriebatur: ita post ejus obitum, omnium cruciatuum ejus viva recordatione ac memoria; quam nullus dies, vel nec momentum quidem temporis, ex animo erasit. Hinc inter ornamenta Sponsæ dicitur: *Comæ capitis tui sicut purpura regis juncta canalibus.* Cant. 7. Ad quæ verba Guilielmus Parisiensis exquirens causam, cur crines Sponsæ purpuræ æquiparentur: Respondet hoc factum fuisse à sanguine Sponsi. *Rubebat*, inquit, *caro Christi sanguine passionis: rubebant maternæ cogitationes, vt ita dicam, sanguine compassionis: bene ergo dicitur: Comæ capitis ejus sicut purpura Regis.* Confirmat Interpretationem hanc Haïlgrinus Cardinalis, qui eadem verba Canticorum explicans sic loquitur: *Cogitationes MARIÆ tinctæ in sanguine Dominicæ passionis: sic afflictæ semper fuerunt, quasi recenter viderent sanguinem ejus de vulneribus profluentem.* Cogita ergo quàm longum, & continuum Martyrium, & amaritudo cordis MARIÆ; quæ non modò annos triginta tres; sed totum spatium vitæ ejus, quæ à morte Christi superfuit, non nisi in Myrrha & amaritudine traducta est; adeò vt sicut Christus *Vir dolorum* dictus est ab Isaia: ita B. Virgo *Mulier dolorum* jure dici possit. Cap. 53.

At inquies iterum, si MARIAM *Reginam Martyrum* appellamus, quæ ejus corona, & quæ nota sive Martyrij

MARIANI instrumentum? per me licet, habeant suas cruces Petrus & Andreas; ostentet gladium D. Paulus, lapides Stephanus, cultrum Bartholomæus: satis est MARIÆ exanime IESV corpus, de cruce depositum, suo gremio gestare: hæc tessera Martyrij ejus est, hoc instrumentum. At quæ corona? non absimilis Filio, cui spinæ acutæ pro diademate cesserunt. Siquidem *Coronata est Mater corona tribulationis*, inquit B. Amedæus.

Hom. 5. de Laud. B. Virg.

§. 3. *Effectus compassionis B. Virginis, non absimilis Myrrhæ.*

AFfectus compassionis erga Virgineos dolores, effectus Myrrhæ in corpore nobis exhibent. Siquidem & primò, vt ante memoravi, si myrrhino vnguento delibuta mortuorum cadavera putredinis expertia sunt, & quasi immortalitati consecrantur: Tales fuerunt cives illi Florentini, qui se Mariano servitio dedicarunt, atque exinde *Servitæ* dicti; quos B. Virgo suorum dolorum memores jussit pullis vestibus indui, quasi suis doloribus in morte Filij, isto schemate parentarent. Ex illis non vnus fuit, qui felici morte, vt testantur Annales Ordinis, à Sede Apostolica confirmati, non immortalitatem assecutus sit. Alia Myrrhæ proprietas est fluentia tabo vulnera purgare & constringere: Et hoc B. Virgo per dolores suos in animis nostris efficit. Testem produco Alphonsum Caguerra Hispanum è Societate IESV: qui nævos in anima apprehendens, interque meditandum hæc verba: *Lava quod est sordidum*, vidit in Spiritu animam suam, quasi filiam tenellulam, sed sordido in amictu, detritisque lacinijs. Quocirca dolens

Neiremb. de viris illustribus vt sup.

Virginem oravit, vt ſordes iſtas ablueret. Quod MARIA extemplò facere viſa eſt. Attamen advertens non cœnum tantùm veſtibus,ſed animæ adhæreſcere : iteratis precibus obtinuit, vt tota candori & munditiæ reſtitueretur: ſpectavitque B. Virginem primò quaſi plagam purgantem appoſita manu: tum & colligantem.

Tertia qualitas myrrhæ eſt viventia etiam corpora firmare adverſus tabem & peſtilentiæ carcinomata: Idem expertus eſt in anima B. Ripa Ordinis Seraphici: qui ſępiùs expertus fœdis Imaginibus ſibi animum impeti, & ſuccuti etiam ſenſus; poſtulavit à Virgine puritatem cordis, per amariſſimos dolores, quos paſſa eſſet in vita: nec non & lacrymarum fluenta, quæ corde ſaucio oculis vberrimè perpluerat. Auditus eſt tandem & voti compos redditus, quod Poëticè Hiſtoriam deſcriptam exhibeo. *Annales Ord.*

Quid ſi fors veteri ſordent præcordia culpâ,
Nec ſuus eſt animo, qui fuit ante color? *De cultu Deip. lib. 3. n. 13.*
Mater habet fontes; maternas quærere lymphas
Cura ſit: exemplum Ripa *lavantis erit,*
Fœda illi mentem fuſcabant nubila: ſæpe
Idalium, dixit, non placet, eſtis opus.
Sæpe querebatur, quando gemebundus ab imo
Pectore, ſic cœpit flebilis ore loqui.
Impetimur, Mater: præcordia ſulphure fumant:
Obruat impuros lacryma caſta rogos.
Hanc dolor adjiciat Myrrham, luctuſque fluenta
Quæ quondam caſtis immaduêre genis.
Finierat: tenui Virgo ſpectabilis aura,
Attonitos Ripæ *conſtitit ante pedes.*
Læta videbatur, non qualem Ripa *vocabat:*
Aurea cæſaries, aurea veſtis erat.

Fit propior, stupet ille pavens: dubiusque videre
Quod videt; ambiguo stat que fugit que metu.
Tum Diva: ecquid agis? quid me fugis inscie? dixit:
Illa ego sum votis, Ripa, *petita tuis.*
Dignatur dextrâ: præcordia qualia poscis,
Certa fides verbo (tangimus) inquit, habe.
Nulla mora est: Paphia turpis cum Matre Cupido
Obsessos Ripæ *deseruêre sinus.*

Vt finiam, quæ de hoc *Myrrha electa* Elogio commentati sumus, habemus profectò vnde gaudeamus, simul vnde doleamus. Et dolendum quidem nobis est, qui ad dolores Virginis concurrimus; nempe peccatis nostris, passionis & mortis Filij ejus causa effecti: gaudendum autem, quod per affluentem hanc Myrrham, dolores, inquam, ejus & lacrymas, vt Arca Noe aquis diluvij intumescentibus, elevata est in sublime à terra, atque hinc *Regina Martyrum* appellata. Quod si adhuc fluentes MARIÆ lacrymas cogitemus, fluant in animos nostros & corda, vt à corruptione peccatorum, tanquam myrrhinus liquor, illa conservent. Interim Sodalis quisquis es, *Dole quod lapsus sis, aut dole quod non doleas: dolentem Virginem cogita, ne dolenda committas & delenda*; inquit Aloysius Novarinus.

In Vmbra Virg.

LITERA

LITERA

N.

NEGOTIVM OMNIVM SÆCVLORVM.

Indicavit negotium. Danielis 2.

SIngulare est hoc Elogium, nec nisi apud S. Bernardum reperias, qui de B Virgine MARIA sic scribit: *Ad illam tanquam ad medium, sicut ad rerum causam, sicut ad* negotium omnium sæculorum *respiciunt & qui habitant in cælo, & in terra, & qui nos præcesserunt, & qui nos sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis.* Quod verò supra ex Daniele thema produxi, sic suscipio tractandum. Ser. 2. de Pentec.

§. 1. *Quid per* Negotium *intelligi debeat ex Scriptura Sacra & SS. Patribus.*

§. 2. *Quo sensu B. Virgo dici possit* Negotium omnium sæculorum: *vbi iterum de Conceptione ejus Immaculata tractatur satis fusè.*

§. 3. *Quomodo ad illam recurrere debemus, vt ad negotium salutis.*

Deum time & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo, edixit aliquando Salomon: quæ verba variè à SS. Patribus & Interpretibus explicantur. *Hoc est enim omnis homo,* Eccli. 12.

homo, id eſt, perfectus homo, inquit S. Bonaventura. *Totus homo*, apud Scholiaſten. Arias Montanus, *omnis homo*, ſic reddit: *hoc* eſt opus & negotium hominis, hic finis & cauſa vitæ ejus: ad hoc factus & creatus eſt homo.

§. I. *Quid per* Negotium *intelligi debeat ex Scriptura Sacra, & SS. Patribus.*

MVlta ſunt & varia, inter mortales, & à mortalibus tractari ſolita; quæ nullatenus *Negotij* vocabulum ſortiri debent. Neque enim quæ pueri ludicra inter ſe agitant, Negotia appellantur: vt ſunt luteas domos conſtruere, papilionibus captandis operam dare, ſimulachra belli aut Senatus ciere: & vt habet Horatius.

Lib. 2. Satyr. 3. *Ædificare caſas, plaſtello adjungere mures,*
Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Lib. 6. Epiſt. 49. Imò & Seneca de intempeſtivis minutarum, parumque vtilium rerum ſtudijs exclamat; qualia ſunt, vt Chriſtianè loquar, quæcumque ſecluſo ſalutis & gloriæ divinæ ſtudio tractantur: *O pueriles ineptias! In hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam demiſimus? Quid mihi luſoria iſta proponis?* Itaque *Negotium* propriè appellandum eſt ſalutis cura: & vnicum illud teſte Eminentiſſimo Cardinale Bellarmino. Cum enim is ab amico ſciſcitatus, ecquid tam multis & graviſſimis Eccleſiæ negotijs, à Summo Pontifice Romano occupatus non obrueretur? quid multa mihi objectas negotia, inquit: vnicum, ſcias velim, eſſe quod me vrget, & cui noctu diuque incumbo, ſalus animæ. Eo ſenſu *Negotium* accipitur apud Danielem, qui monitus à Rege Nabuchodonoſor

donoſor de ſomnio ejus indicando, quod arioli & Magi Chaldæi aperire nequiverant: *Ingreſſus eſt domum ſuam, Ananiaque & Miſaëli, & Ananiæ ſocijs ſuis indicavit* Negotium: vbi ſcilicet & de gloria Dei, de ſalute & vita omnium agebatur: niſi obtineatur ferventiſſimis precibus à Deo, ſomnij regij myſterium ac revelatio. Sic etiam Apoſtolus Theſſalonicenſes ita ſcribens: *Rogamus vos Fratres, vt operam detis, vt quieti ſitis, & vt veſtrum* Negotium *agatis*. Πράσσειν τὰ ἴδια, *vt res proprias agatis*, & quid magis proprium quàm ſalus animæ? Arguit hîc Apoſtolus otium ac curioſitatem aliquorum Theſſalonicenſium. Hæc enim duo connexa ſunt; indeque oritur inquietudo vana & varia deſideria, appetentiæ rei & felicitatis alienæ; aliaque mala, quæ domos & reſpublicas perturbant. Euclides interrogatus à quodam quales eſſent Dij, quaque re potiſſimum gauderent? *Cætera quidem ignoro*, inquit, *at curioſos illis odio eſſe, certò ſcio.* Quàm multis dici poſſet, quod Demonax Philoſophus, cuidam ſciſcitanti an mundus eſſet animatus; an eſſet globoſus? reſpondit: *Vos de mundo ſolliciti eſtis, & veſtram ipſorum immunditiem non curatis.* Nimirum vnicum nobis *Negotium* & ſtudium curandum eſt, nobis ipſis vacare, ſaluti propriæ incumbere; & meminiſſe illius quod Chriſtus dixit Petro curioſiùs de Ioanne perquirenti: *Quid ad te, tu me ſequere.*

Cap. 2.

1. Theſſ. 4.

Ioan. 21.

In eadem ſententia eſt D. Auguſtinus agens de actione & Negotio Beatorum in cœlo, quod conſiſtere ait in laude Dei æterna, juxta illud Pſalmiſtæ: *Beati qui habitant in domo tua, Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Hoc erit*, inquit, *totum* Negotium *noſtrum, ſine defectu Halleluia.* Idemque poſtea quia in cœlo requies

In Pſal. 83.

In Pſal. 100.

perfecta ac beata erit, vocat hoc, id eſt, laudare Deum, *Otioſorum Negotium, opus vacantium, actionem quietorum, curam ſæculorum*: Quippe quod Beatis non alia cura ſit, quàm Dei gloriam enarrare in ſæcula ſæculorum.

Et hoc revera noſtrum etiam *Negotium* eſſe debet in hac vita: hoc enim inſinuat modus creationis, quem obſervavit Deus in Adam. Nam cur ſolum initio condidit, cum vtriuſque ſexus fecerit animalia maſculum & fœminam? dein cur antequam Evam formaret, immiſit ſoporem in Adam? Reſpondent quidam ex Interpretibus, eò id feciſſe, vt in iſto ſopore myſtico, quę ectaſis fuit, cognoſceret ad quem finem creatus eſſet: nimirum ad amandum & laudandum Deum, vt in iſto Negotio delitioſo tramitem ſibi, ac viam faceret ad æternitatem, continuaturus illic æternùm, quod in terra cœpiſſet.

§. 2. *Quo ſenſu B. Virgo dici poſſit*, Negotium omnium ſæculorum.

VT hoc Elogium Marianum particulatiùs explicandum aggrediar: notare oportet *Negotium* bifariam accipi poſſe; activè ſcilicet & paſſivè. Et activè quidem reſpectu Virginis, nullum fuiſſe ſæculum, in quo B. Virgo MARIA Negotium ſalutis humanæ non egerit. Ac primò vmbris ac figuris in Veteri Teſtamento: Sic in Eſther Regina populum Iudaicum ferali mortis edicto liberavit: in Iudith occiſo Holoferne Aſſyrium robur peſſumdedit: in Arca Noëmi familiam ejuſdem, novi mundi ſeminarium diluvio exemit: in Arca Fœderis populum Iſraeliticum per deſertum circumduxit, atque in prælijs juvit. Omitto cætera ejuſ-

cemodi

cemodi Virginis MARIÆ, ante Christi Nativitatem figurata præsidia. Clariùs atque operosiùs *Negotium* salutis nostræ Deipara peregit, secutis ab ortu Christi sæculis, cujus salutaria adminicula, Fidelibus omnibus, sacris ejusdem Imaginibus, ac miraculis toto terrarum orbe coruscarunt. Atque hoc de Negotio activè sumpto.

Quod ad passivam acceptionem attinet. sic B. Virginem *Negotium omnium sæculorum* appello: id est, non fuisse sæculum, in quo SS. Patrum, Doctorum & Scriptorum ingenia explicandis MARIÆ præconijs; ac præcipuè pro mysterio ejusdem Immaculatæ Conceptionis enodando non desudarint. Atque adeò verè *Negotium omnium sæculorum*. Quod eruditè P. Salazar, latèque ostendit: quodque hîc in gratiam lectoris MARIANI, ac veritatis amici paucis lubet exponere, per quælibet sæcula. *Tract. de Immac. Conc. cap. 42.*

Laboravit Sæculum primum pro Virgine Immaculata; quamquam fatendum sit, multa, aut incuriâ hominum, aut injuriâ temporum intercidisse, ab Apostolis, & Apostolicis viris pronuntiata: Cæterum de S. Iacobo Majore, ab ejus discipulo Thesiphone hæc habemus; *Illa Virgo, illa* MARIA, *illa Sancta præservata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, & libera ab omni culpa: & qui ita non senserit non consequetur salutem æternam.* Adlaborarunt eodem primo Sæculo veritati huic adstruendæ B. Marcus Evangelista, discipulus S. Petri, & Ecclesiarum Ægypti Magister. S. Ignatius Antiochenus, & S. Dionysius Areopagita *Sanctissimam super omnes Angelicos Spiritus* appellant: ergo Immaculatam. Sæculo I.

Recensetur sequenti Sæculo S. Iustinus Martyr, qui Sæc. II.
 floruit

floruit anno 150: itemque B. Irenæus. Et Iustinus quidem *Sequestram Virginem* appellat. Est autem sequester ille, apud quem plures rem, de qua controversia est, deponunt. Cum igitur de salute & gratia esset tota hominum cum Deo controversia, hujus gratiæ sequestram Virginem Deiparam instituit Iustinus; vt nimirum inter hominem ac Deum mediatricem ageret. Si igitur *Sequestra* fuit non ergo adversaria, neque cum illa lis suscepta est: nam litigator ipse sequester esse non potest. Nos igitur adversarij Deo litem intendimus, Virgo sequestra est.

Sæc. III. Habemus Sæculo 3. Assertores Immaculatæ Conceptionis MARIÆ, S. Hippolytum Portuensem Episcopum ac Martyrem: Origenem, S. Gregorium Neocęsariensem, qui de MARIA enuntians ait: *Solam gratia elegit.* (*Ser. 1. de Annunt.*) Electi quidem alij à gratia & per gratiam: sed communi eligendi modo post culpam & labem. Deipara verò ideò sola electa dicitur, quia singulari modo selecta, & à culpa servata. Adde supradictis testibus, S. Cyprianum Carthaginiensium Episcopum & Martyrem, Dionysium Episcopum, Chrysippum Ierosolymitanum.

Sæc. IV. Quarto Sæculo pugnarunt pro Immaculata Conceptione Athanasius Alexandrinus, Basilius Magnus, Epiphanius, qui Virginem vocat *Lilium immaculatum, ovem immaculatam, quæ peperit ovem Christum.* (*Serm. de Laud. B. Maria.*) S. Ambrosius, docet & enuntiat Deiparam Virginem, *Virgam esse, in qua nec nodus Originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Ambrosium secutus est Gregorius Nissenus, Hieronymus ad illa Verba: *Deduxit illos in nube diei; nubes est,* (*Psal. 77.*) inquit, *B. Virgo, quæ pulchrè dicitur nubes diei, quia non fuit in tenebris, sed semper in luce gratiæ.* Chrysostomus in Liturgia, vocat B. Virginem MARIAM *Sanctissimam*

mam, Incontaminatam, Immaculatam, super omnes benedictam.

Quintum Sæculum D. Augustino floruit, Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis assertore: cujus hæc verba citantur ab Ekio & Bernardino de Bustis: *Cum subjectio peccati originalis caput sit diaboli, tale caput* MARIA *contrivit, quia nulla peccati subjectio ingressum habuit in animam ejus.* Alia & certiora D. Augustini testimonia reperias apud Salazar. Accessit D. Augustino D. Maximus Episcopus Taurinensis, Cyrillus Alexandrinus, Eusebius Emissenus, Petrus Chrysologus, qui ait B. Virginem *Pignoratam fuisse in vtero Annæ, cum fieret.* Cujus sensus est, vt annotat Salazar, quod B. Virgo, vt esset Sponsa & Mater Christi, fuerit *pignorata* in vtero Annæ; id est, quasi pignore & arrhabone donata in futurarum nuptiarum sponsionem. Pignus autem illud fuit gratia & Iustitia originalis, *cum fieret*: ne putes id factum fuisse post aliquam moram etiam brevissimam: additque hæc verba: *Meritò ergo Virgini salva sunt omnia, quæ omnium genuit Salvatorem.*

Sæc. V.

Ser. 140.

Ser. 144.

Protulit sextum Sæculum in favorem Virginis S. Fulgentium Episcopum Ruspensem, qui dicit *Plenam benedictionis gratiam restitutam fuisse* MARIÆ; quam quidem gratiam, Eva sine peccato condita, peccando amiserat. Accessit Fulgentio Anastasius Sinaita, Andreas Cretensis, qui scribit *Solam Virginem præter naturam fuisse electam*: quod perinde est, ac præter naturæ ipsius leges; quasi dicat, non communi aliqua lege electa post naturæ vitium, sed antequam vitio fieret locus.

Sæc. VI.

Sæculum hoc attulit etiam non paucos MARIÆ encomiastas & perpetuæ ejus sanctitatis commendatores. Hesychium Ierosolymitanum qui B. Virginem vocat *Gloriam*

Sæc. VII.

Orat. 2. de S. Mar.

Gloriam luti nostri: si enim Virgo sordibus luti nostri infecta est, vel si in ea lutum nostrum prorsus sordidum & pollutum fuit, quonam modo ipsius gloria existere potest? Præter hunc habemus secundam Synodum Nicenam, Concilium Toletanum secundum, S. Eligium Episcopum Noviomensem, S. Ildephonsum, Venantium Honoratum, Cosmam Ierosolymitanum.

Sæculo VIII. Floruêre octavo Sæculo S. Germanus Ierosolymitanus, D. Ioannes Damascenus, qui B. Virginem *Paradisum* appellat, *ad quem serpens aditum non habuit*. Præter Damascenum Alcuinus quoque sub finem hujus sæculi Marianæ puritatis assertor fuit.

Orat. 2. de Dorm. Virg.

Sæc. IX. Sæculum nonum offert nobis S. Nicephorum Constantinopolitanum, qui asserit B. Virginam MARIAM *in anima & carne præmundatam spiritu fuisse*. Itemque Theophanem Græcum, qui eandem Virginem non modò *Immaculatam*, sed *Immaculatissimam* appellat.

Epist. ad Leonem 3.

Sæc. X. Hoc Sæculo cœptum est publicè celebrari in Hispania Festum Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis, cujus author fuit, Gondisalvuus Archiep. Toletanus. Accessêre Idiota vir Sapientissimus, qui *præbenedictam* Virginem appellat. Fulbertus Carnotensis Episcopus in Salutationem Angelicam, qui sic ait, Virginem alloquens: *Electa insignis inter filias, quæ Immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quæ paritura eras creatorem totius Sanctitatis*. Quid illustrius?

Sæc. XI. Celebritas Immaculatæ Conceptionis amplificari cœpit hoc Sæculo apud Normannos & Anglos, ex cælesti revelatione, vt diximus ad Elogium *Immaculata*, Helsinio Abbati facta. Sæculi hujus gloriam pro Immaculata Conceptione auxit Petrus Damianus & maximè D. Anselmus cujus hęc verba alibi etiam relata: *Decens*

tens erat vt ea puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret. Confirmatque hanc suam opinionem Epistolâ scriptâ ad Episcopos Angliæ. Addidêre etiam huic veritati Symbolum suum, Petrus Abbas Cellensis, Ivo Carnotensis Eposcopus, Sanctus item Bruno dignissimi Carthusiani Ordinis Patriarcha: qui ad illa verba: *Dominus de cœlo in terram aspexit.* Ita scribit: *Hæc est enim incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea peccati contagione libera, per quam vita viam agnovimus.* Atque iterum alibi. *Hæc linea incipit ab Eva, & definit in* MARIAM: *in principio est mors, in fine vita consistit: mors per Evam facta est, vita per* MARIAM: *illa à diabolo victa, hæc diabolum ligavit ac vicit.*

L. de Conc. Virg. & de pecc. orig. cap. 18.

Psal. 105.

Ser. de Nat. Virg.

Floruit hoc Sæculo Rupertus Abbas Tuitiensis, Hugo Victorinus, Richardus à S. Victore, qui pro Negotio Virginis, & gloriâ Immaculatæ Conceptionis strenuè laborarunt calamo & voce. Petrus de Riga, qui Evangelium Christi carmine prosecutus est, sic canit.

Sæc. XII.

Vnam nec maculam Natura reliquit in ista,
Ad caput a planta transvolat iste decor.

Auxit etiam gloriam Immaculatæ Conceptionis Petrus Lombardus Magister Sententiarum dictus, & Petrus Comestor Lombardi frater. Et ille quidem cum ait: *Totam Virginem Spiritu Sancto præveniente ab omni labe peccati castificatam*: Hic verò, ad illa verba: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, & postea: *fundavit eam altissimus*: concludit: *nulla veteris ruinæ mansisse vestigia, nec veteri superædificatum esse, quia tunc vetus Adam, non novus, ipse scilicet ædificasset Altissimus.* Et non longo intestitio: *oportuit eam ab ipso fundamenti primordio, præ cæteris aliquod dignitatis sortiri privilegium, quæ secretorum*

Psal. 86.

Lib. de pura Conc.

torum Dei, mysteriorumque cælestium in se suscepturа erat arcanum.

Sæculo XIII. Sæculum 13, quo vixêre S. Dominicus & S. Thomas disputationibus hinc inde satis acribus pugnatum est pro Immaculata Conceptione: & quamquam adversarij

P. Alva in Nodo. Achillem in D. Thoma Aquinate statuerint: certum est tamen multis locis hunc Doctorē in ejus scriptis non vitiatis, pro Immaculata Virgine stetisse. Quale est illud quod dicit in expositione Salutationis Angelicæ, vbi sic loquitur: MARIA *purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Et alij sunt, qui ex Ordine S. Dominici, steterunt à pia sententia, vt videre est in P. Alva, in Nodo, ac Sole veritatis.

Ex Ordine Seraphico S. Bonaventura, inter alia hæc

In Spec. habet: *Solus Virginis Filius immunis fuit ab originali culpa, & ipsa Mater ejus Virgo. Credendum est enim quod novo sanctificationis genere in ejus Conceptionis primordio, Spiritus Sanctus eam à peccato originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia præservavit.*

Sęc. XIV Floruit hoc Sæculo Doctor subtilis Ioannes Duns Scotus ex Ordine Minorum, qui vt supra retuli, *Victoris* etiam nomen obtinuit à solemni ac felici pro Immaculata Virginis Conceptione Parisijs habita disputatione.

Accessit eo tempore Scoto coætaneus Augustinus Anconitatus ex Ordine Eremitarum: Petrus Aureolus minorita Sanctæ Ecclesiæ Cardinalis, Hervæus Natalis, Ordinis Prædicatorum Magister, Ioannes Thaulerus

Lib. 6. Revel. c. 29. item Dominicanus. Denique S. Brigitta quam B. Virgo sic allocuta est. *Scito quod ego concepta fui sine peccato originali,*

originali, & non in peccato. Et rationem attexit propter quam hæc Virginis Deiparæ laus eximia tamdiu latuit, & fidelium concertationibus locus datus. *Scio quod conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem Christi scriptam præcessit lex naturalis & electio voluntaria boni & mali; vt postea veniret lex scripta, quæ cobiberet omnes inordinatos motus. Sic placuit Deo quod amici sui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas clarescceret tempore præordinato.*

Multi sudarunt hoc eodem Sæculo, pro Negotio Immaculatæ Conceptionis MARIÆ! Alexander V. Summus Pontifex, ante Petrus de Candia Ordinis Seraphici: Concilium Basiliense, S. Vincentius Ferrariensis Dominicanus, qui sic ait: *Quando corpus B. Virginis fuit perfectè organizatum, & omnia illi conjuncta per creationem, Altissimus sanctificavit Tabernaculum suum.* Idem suam ipse mentem luculentiùs insinuat, expendens illa verba Geneseos: *Fiat lux. non credatur*, inquit, *quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur: sed statim atque anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in cælo fecerunt festum Conceptionis.* Et postea addit: *Lux dicitur illa benedicta generatione Virginis* MARIÆ, *quia sine tenebra culpæ facta est.*

Sæc. XV.

Ser. 1. de Nat.

Accedunt Synchroni S. Bernardinus Senensis, B. Ioannes Capistranus ex Ordine Minorum, Alphonsus Tostatus Episc. Abulensis: Laurentius Iustinianus, Sixtus IV. ex Ordine Minorum, Extravagante quæ incipit: *Cum præcelsa*, in qua Fideles omnes ad Festum Immaculatæ Conceptionis quotannis agendum adhortatur, & studium erga B. Virginem magnis gratiarum largitionibus exacuit. Ornaruntque eandem spartam Leonardus

nardus de Nogarolis, qui præclarum Officium de Immaculata Conceptione composuit: quod ab eodem Sixto IV. probatum, & toti Ecclesiæ commendatum fuit; Bernardinus de Bustis, & Pelbartus Minoritæ. Habemus hoc eodem sæculo Innocentij VIII. approbationem Religionis Monialium, sub invocatione Immaculatæ Conceptionis; quam postea Alexander VI. Iulius II, & Leo X. pluribus privilegijs auxerunt. In qua Religione habentur hæc verba in formula professionis, quæ sic incipit: *Ego Soror N. ob amorem & servitium Domini nostri, & Immaculatæ Conceptionis ejusdem Genitricis, voveo, &c.*

Sæculo XVI. Hoc Sæculo plures doctissimorum virorum, & veluti facto agmine, piam sententiam secuti sunt, & defendendam, atque illustrandam scriptis commentarijs susceperunt: Inter quos Societas IESU à S. Ignatio instituta, & Apostolicæ Sedis auctoritate confirmata in laudem Beatissimæ Virginis: de qua postea.

Concilium Tridentinum in primis magnum pondus huic Sententiæ addidit; cum agens de peccato originali, sic definit: *Declarat tamen hæc ipsa Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, B. & Immaculatam Virginem MARIAM Dei Genitricem: sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis illis Constitutionibus contentis, quas innovat.*

Et verò, ut ad Societatem IESU revertar, constat in primis illud nobile Ordinis nostri Elogiū: Quòd decem illi Societatis Protopatres in Academia Parisiensi, Magistri nuncupati & creati sunt. Atque adeò juxta veterem illius scholæ morem, ad puram Conceptionem ubique defendendam Sacramento sese obstrinxerunt.

In his autem S. Pater Ignatius, qui Sacramenti sui tenax, Conceptionis Immaculatæ perquam studiosus assertor fuit; vt ex Codice illo constat, in quem S. Pater Illustrationes Dei conjecit, suum erga Immaculatam Virginis MARIÆ Conceptionem affectum professus est.

Fuit ex decem illis Patribus Iacobus Laynius, secundus Societatis nostræ Generalis Præpositus, cujus in hoc Negotio Immaculatæ Conceptionis tuendo, ardor & studium in Tridentina Synodo tantùm valuit: vt appendicem illam, seu restrictionem, quæ ad calcem Decreti de peccato originali subjecta fuit, illi acceptam referunt, non modò nostrates sed etiam externi scriptores. Nam vbi Patres Concilij illum per tres horas de Immaculata Cõceptione perorantem accepêre: statim exceptionem illam addendam suis calculis censuerunt. Aiunt etiam quidam quartanam febrim, quam in eum diem, qui sibi ad dicendum de prædicta thesi obtigerat, incidere oportebat; Laynium perorantem deseruisse. Ad hæc videre est apud P. Alva, quamplurimos & eximios scriptores ex eadem Societate, Immaculatæ Conceptionis Negotium ac mysterium stabiliuisse, conquisitis vndequaque Theologicis ac solidissimis rationibus. *In militia pro Immacul. Concept.*

Successerunt hoc Sæculo inchoato ex eadem Societate varij scriptores: & præter Constitutionem Innocentij Papæ X. habetur etiam novissima Alexandri VII. quæ incipit: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*; data Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 8. Decembris M. DC. LXI. Pontificatus illius anno septimo. Atque hæc pro Negotio passivo B. Virginis, pro quo omnibus anteà sæculis, vt ostensum est, sudarunt ingenia pijque affectus, ad stabiliedum purissi- Sæculo XVII.

mam Conceptionem Beatissimæ Virginis semper Immaculatæ.

§. 3. *Quomodo ad illam recurrere debeamus.*

A Negotio passivo, haud incongruè iterum ad Negotiationem activam, sive ad *Negotiatricem* salutis nostræ MARIAM delabimur: ad eam scilicet recurrat necesse est omnis peccator, quandoquidem nullum sæculum fluxerit, in quo singularis ejus in mortales patrocinij argumenta non extiterint, teste D. Bernardo.

Addo & ad Angelos aliqua ratione pertinere posse: siquidem salutis hominum procuratione, ruinæ, quas Angeli Apostatæ in quibuslibet ordinibus fecerant, reparatæ sunt per MARIÆ opportunum Negotium. Scribitur de Sancta Melcthide devotissima virgine, quod viderit aliquando in Spiritu Gabrielem Archangelum, in cœlo scutum gestantem, in quo prima legationis suæ verba auro descripta radiabant. *Ave Maria*: cui omnes cælestes Spiritus adgratulari videbantur. At quam ob causam? S. Mecthildis verba sunt: *Quod omnium Angelorum vehementia desideria ipsam videndi indicaverit, & Negotium, cujus eventum prosperum cupidissimi omnes præstolabantur, ex voto transegerit.*

Porrò de modo transigendi Negotium nostrum à B. Virgine in cœlo, in quo tota salus, ac felicitas nostra vertitur: licet alibi erit dicendi amplior locus, ad Elogium *Advocata*: lubet tamen hîc addere quod legitur apud Arnoldum Carnotensem: *Dividunt*, inquit, *coram Patre inter se Mater & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ Negotium.*

De Laud. B. Mariæ.

Et ita quidem pro nobis Negotiatur Virgo, vt nobis etiam tacentibus, patrocinium suum non intermittat: Cujus figuram & exemplum habemus in Oratione Agar pro filio suo Ismaele; vbi narratur quod Agar proje- *Gen. 21.* ctum puerum ad radicem arboris, & præ siti languentem eminus spectans; *Levavit vocem suam & flevit*: & statim additur; *Exaudivit autem Deus vocem pueri*. An igitur puer Ismael oravit, qui ne hiscere quidem præ siti poterat? sed Matris Agar oratio in illum reciprocabatur. Ita etiam tacentes, Oratione MARIÆ exaudimur apud Deum, & Negotium salutis nostræ transfigitur. Vt autem id diligentiùs & lubentiùs faciat, novit illa quanti vnica vel anima Filio suo constiterit: novit illa examinare pondere Sanctuarij, quantum valeat Divinus ejus Sanguis pro redemptione generis humani fusus: vt propterea verba illa mulieris Sapientiæ apud Salomonem ad illam pertineant: *Gustavit & vidit* *Prov. 31.* *quia bona est Negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus*. Quod autem ex D. Bernardo B. Virgo *Supra.* non tam *Negotiatrix*, quàm *Negotium ipsum* vocetur, tam in sua, quàm in nostra salute curanda, efficaciam habet: quasi ipsum Negotium vivum, & actuosum esset, semetipsum vrgeret ac promoveret: sic etiam Virgo Sanctissima Negotium nostrum tractans non *Nego-* *Salazarius* *tiatrix*, sed ipsissimi ad instar Negotij negotiatur & agit. *Prov.* Porrò *Negotium* vox composita est, quasi *nec otium*, id est sine otio, quia scilicet negotia otiari, & feriari non sinunt negotiatores. Aptè ergo B. Virgo, *Negotium omnium sæculorum* appellata est, quia sibi otium nullum vnquam fecit Hanc autem diligentiam & sollicitudinem indidit illi salutis nostræ cura, quam ex Sanguine Filij sui pro nobis fuso, semper vt par est, summè æstimavit,

mavit. Quod additur: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus*: nimirum propter ei abundatiam; ita B. Virgo, oleo misericordiæ abundans, non cessabit operari salutem nostram, vsque ad noctem & finem mundi.

Et hæc sunt consideratione digna, quæ nos excitare debent, vt ad B. Dei Genitricem MARIAM recurrere debeamus. Illa est enim quæ apud Deum cunctorum Negotia & salutem procurat: de qua re præclarè Idiota: *Ipsa est*, inquit, *quæ apud Filium, sicut Filius apud Patrem: imò apud Patrem & Filium procurat negotia, & petitiones nostras: & sæpe quos Iustitia Filij potest damnare, Matris misericordia liberat.* In Contempl. de B. Virg.

Faxit Deus, vt tali *Negotiatrice*, hujus vitæ periculis & apud Dei tribunal securi, gloriæ ac statui Beatorum aliquando adscribi mereamur. Amen.

LITERA

O.

OPVS EXCELSI.

Vas admirabile, Opus Excelsi. Eccli. 43.



PRæconium hoc Solis esse, planetarum choriphæi, ac Principis reliquorum siderum, quantum ad literam attinet, nemo est qui nesciat. Solem enim ita à Deo creatum fuisse certum est, vt ex vi operis Majestatem Dei adumbret, & quasi sit, vt ait D. Dionysius Areopagita, *Lucida quadam & ex-*

& expressa Imago bonitatis illius, ac magnificentiæ. Vnde jure merito illum appellat Siracides: *Vas admirabile, Opus Excelsi:* Verùm hoc nonnulli è SS. Patribus ad Deiparam Virginem referunt; inter quos Hugo Victorinus, S. Bonaventura, Petrus Damianus & alij: Nos hîc omissis qualitatibus Solis; de quibus alibi erit dicendi locus, ostendo. *In Spec. Ser. 1. de Nat. B. Virg.*

§. 1. *Quale fuerit Dei Opus B. Virgo in natura.*

§. 2. *Quale fuerit in gratia.*

§. 3. *Quod hinc meritò laudada* MARIA, *atque in ea Deus ipse, tanti Operis author.*

De hoc Opere quasi præludens, prolixè satis & eleganter D. Bonaventura sit scribit. MARIA *fuit resultatione sive expressione Divinæ gloriæ juxta illud Eccli:* gloria Domini plenũ est Opus ejus. *Antonomasticè Opus Domini mirabile est* MARIA: *de qua dicitur in Ecclesiastico:* Vas honorabile, Opus Excelsi. *Verè Opus mirabile, quia nusquam invenitur simile, vnde de hoc dicitur:* non est factum tale Opus in vniversis regnis. *Non in regno cælestium, nec terrestrium, nec infernorum. Hoc enim Opus plenum est Dominicâ gloriâ, quia supra omnem puram creaturam resultat, & relucet plenissimè in* MARIA. *Nam præter assumptam à verbo naturam, nullum est Opus, nulla creatura, in qua tanta divinæ gloriæ materia reluceat, sicut in* MARIA. Et infra: *plena est omnis terra gloriâ ejus, sicut dicitur in Isaia: plena est tota* MARIA *relucente in se plenissimè divinâ gloriâ.* *In Spec. c. 7.*

§. 1. *Quale B. Virgo fuerit Dei Opus in natura.*

AD perfectionem hominis non vna res examinanda, & excutienda proponitur. Nam & Parentes.

modus

modus generationis, tum & qualitas corporis & animæ: demum munera & ornamenta gratiæ ad nobilitatem operis humani concurrunt: quæ omnia in MARIA cumulatè reperiuntur, vnde meritò dici potest: *Vas admirabile, Opus Excelsi.*

Suarez in 3. part. tom. 2. disp. 1.

Et primò admirationem Operis movet, MARIA ex sene Ioachimo nata, & Anna Matre sterili; quod non sine miraculo & prodigio naturæ factum est. *Omnino decens erat*, inquit D. Damascenus, *vt ad summum miraculum via per miracula sterneretur: & vt in fabricanda Virgine gratia naturam juvaret, ac præveniret: & vt parentes Virginis ad talem fructum suscipiendum sese desiderijs & orationibus disponerent.* Ex quo verisimile fit divinitùs fuisse prænuntiatam Parentibus corporalem Virginis MARIÆ Conceptionem, vt habetur apud D. Hieron. & Epiphanium; & satis indicat Gregorius Nyssenus dicens: *Annam cum prolem à Deo postularet, nutu divino fuisse confirmatam.* Et quidem si conceptio Isaaci, & Ioannis Baptistæ divinitùs nuntiata fuit Parentibus; æquum est, vt dicamus Parentes Virginis hoc beneficio non fuisse privatos. Vnde D. Damascenus, de Beatissima Anna Matre MARIÆ loquens, ait: *Quemadmodum prisca illa Anna cum sterilitatis morbo laboraret, per orationem & promissionem, Samuelem procreavit: eodem modo hæc etiam per obsecrationem & promissionem, Dei Genitricem à Deo accepit, vt ne hæc quoque cuiquam ex illustribus Matronis cederet.*

Orat. de B. Virg.

Lib. de Nat. Mar. Hæres. 70. Orat. de Christi Nat.

Supra.

Fuerunt autem Ioachimus & Anna, qui ad Opus hoc Dei corporaliter concurrerunt, vterque de stirpe Davidica ac regia; itemque Levitica seu Sacerdotali oriundi: adeoque nobiles, honestæ conditionis & status, & quod caput est insigni sanctitate conspicui. Notatque D. Da-

D. Damaſcenus nomina horum parentum non vacaſſe myſterio: quia *Anna gratiam*, ſeu *miſericordiam*; *Ioachim* autem, *Dominus firmabit*, ſeu *ſuſcitabit* interpretari poſſumus. Quo indicatum eſt eos genituros filiam & ad opus concurſuros, per quod Deus & miſericordiam ſuſcitaret, & gratiam confirmaret.

Quod verò ad perfectionem corporis attinet, notat Suarez corpus Beatiſſimæ Virginis fuiſſe in ſua ſpecie & ſexu maximè perfectum; vt docent omnes Patres, qui de B. Virgine ſcripſerunt. Neç veritas hæc ſine temeritate ab vllo negari poteſt, cum nulla authoritas vel ratio obſtet, & per ſeſe decens, ac myſterio Incarnationis conſentaneum ſit. Primò quia ex illo corpore, Chriſti corpus formandum erat: ad divinam ergo providentiam pertinuit, accommodare medium fini, & materiam effectui aptam præparare; præſertim cum Divina virtus, quæ in hoc opere ſingulari modo operabatur, facilè hoc poſſet perficere. Secundò quia decuit Chriſtum & Virginem Matrem inter ſe eſſe ſimillimos, non ſolùm moribus, ſed etiam corporis perfectione & affectibus: hæc enim ſimilitudo & ad conciliandum amorem, & ad majorem perfectionem pertinet. Quinimò hoc revelatum fuiſſe legimus S. Brigittæ: vnde colligunt multi B. Virginem propter optimam corporis conſtitutionem, cum magna moderatione animi conjunctam, nunquam in verum & proprium morbum incidiſſe: & Sophronius dicit corpus MARIÆ ab omni contagione fuiſſe liberum & ejus carnem *Immaculatam & puriſſimam* vocat, quæ *Sancta* etiam & *Immaculata* dicitur in eadem Synodo, in edicto Conſtantini.

Suarez ſup. ſect. 2.

L. 1. Revel. c. 50. & 51.

In 6 Synod. act. 11.

Action. 18.

Acceſſit ad perfectionem corporis pulchritudo condecens, vt paſſim tradunt SS. Patres. Richardus Victorinus

In Cant. cap. 26.

rinus ſcribit *Fuiſſe vultu Angelico, tàm corpore, quàm mente*: Accommodans ei illud Salomonis: *Tota pulchra es amica mea.* Andreas Ieroſolymitanus dicit fuiſſe *Eximiam* MARIÆ *pulchritudinem, à Deo ſculptam ſtatuam, rectè deſtriptam.* Vnde pulchritudo Rachelis, Eſtheris Reginæ & ſimilium mulierum veteris Teſtamenti, vt figuræ, ita & vmbræ fuêre collatæ ad MARIÆ decorem ac venuſtatem. De quo plura dicam ad illud Elogium: *Formoſa inter mulieres.*

Ser. de Aſſumpt.

Vt Opus hoc Dei in natura compleam, dicendum eſt, quæ fuerit animæ B. Virginis pulchritudo. Igitur ſtatuendum eſt cum ſupradicto P. Suarez B. Virginem, animam perfectiſſimam fuiſſe ſortitam. Concluſio enim hæc fortiùs perſuaderi poteſt omnibus teſtimonijs & rationibus, quibus perfectio corporis confirmata eſt. Primò quidem, quia perfectio animæ magis neceſſaria eſt, quàm corporis: Secundò, quia ſimilitudo in perfectione animæ nobilior eſt, quàm corporis. Tertiò, quia anima accommodari debet corpori & è contrario: ad modum vaginæ quæ proportionaliter ſe habet ad gladium, & contra. Quartò denique vt perfectiſſima gratia, haberet proportionatum naturæ fundamentum. Et verôſimile eſt nullam animam ita in eſſe ſuo naturali, ac potentijs fuiſſe perfectam, ac anima B. Virginis MARIÆ: adeoque perfectionem animæ Adami protoplaſti & Evæ, Opus hoc divinum ſuperaſſe; vnde convenientiùs MARIA potuit vſurpare illud Salomonis: *Sortita ſum animam bonam in corpore ſano.*

§. 2. Quale

§. 2. *Quale Opus fuerit B. Virgo, in gratia.*

A Natura transeo ad gratiam, in qua puri hominis, imò & Angeli conditionem spectando, dicere possumus: *Non est factum tale Opus in vniversis regnis.*

Porrò excellentia hujus Operis cœpit ab ipsa immunitate peccati originalis, per quam B. Virgo, sicuti decebat, omnem gratiam puræ creaturæ communicabilem obtinuit. At inquies, quomodo redemptionis gratiam obtinuerit, si peccati labe non fuerit contaminata, & mancipium diaboli effecta? Respondeo, non idcirco caruit redemptione, & pretio Sanguinis Christi, vt inquit Suarius, asserens duplicem esse redimendi modum: vnus scilicet erigendo lapsum: alter præveniendo lapsurum ne cadat, juxta illud Psalmistæ: *Redemisti servum tuum de gladio maligno*; id est, custodisti ne interficeretur. Ex his autem posterior modus, est sine dubio Opus majoris gratię & benevolentiæ, & cæteris paribus majoris efficaciæ ac potestatis: ergo decuit vt Christus Matrem suam nobilissimo modo liberaret. Idcirco quamvis Christus hominum sit salus: tamen B. Virgo singulari modo vocat salutare suum. *Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Vnde notandum quod S. Bernardinus Senensis dicit, *Scilicet Christum Dominum magis venisse in carne mortali pro B. Virgine redimenda, quàm pro omnibus hominibus, etiamsi omnes simul cum illa conferantur*; & propter causam illam vocat, *Primogenitam Redemptoris*: & in illam sententiam refert Glossam in illud Canticorum: *Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa.*

Ibidem sect. 5. *Psal. 143.* *Luc. 1.* *Ser. 51. cap. 3.*

Vt omittam Patrum testimonia, quæ hactenus allata sunt

ta sunt, & adferentur toto hoc Opere pro Immaculata B. Virginis Conceptione: sufficit hîc monere Lectorem dicti S. Augustini: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id scias fecisse Deum.* Quod tunc maximè verum est, quando contrarium aliquo modo incongruum est, aut Deum minimè decens apparet. Prima ergo ratio sumitur ex parte Christi Dei hominis, quatenus verus est Filius MARIÆ: Decebat enim Deum puritatis & sanctitatis amatorem, talem sibi formare Matrem, quæ omninò esset pura & ab omni peccato aliena. Ad quod maximè confirmandum valent omnia, quibus D. Thomas probat in Virgine nullum fuisse actuale peccatum: major enim macula est peccatum originale, quàm peccatum aliquod actuale veniale, quod hominem non facit subditum dæmoni.

Lib. 3. de lib. Arbitrio c. 5.

Quæst. 27. art. 4.

Secunda ratio, quâ probari potest B. Virginem fuisse perfectum Dei Opus in gratia, colligitur ex muneribus amplissimis & pretiosissimis Virgini traditis. Dat enim Deus vnicuique gratiam eo tempore, modo & perfectione, quò secundum rectam rationem maximè congruit fini, dignitati & officio; in quo ab ipso Deo constituitur. Cum ergo prima dignitas Virginis fuerit esse Matrem Dei, quo titulo illi debetur maximus amor & honor: & cum hac conjuncta est alia scilicet singulari modo cooperari redemptioni: cui fini nihil potest magis esse contrarium quàm peccatum: debuit igitur Opus illud perfici in omni gratia; eò referuntur quæcunque in Canticis conferuntur ornamenta ad amorem & splendorem; qualia sunt: *Murenulas faciemus tibi vermiculatas argento. Lectulus noster floridus. Introduxit me in cellam vinariam & ordinavit in me charitatem. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur*

Cant. 1.

Cap. 2.

tur me. Pulchriora sunt vbera tua vino; & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Cap. 4. Cap. 8.

Ex his sequitur alia Virginis dignitas & munus; scilicet, vt singulari modo sit Domina omnium & Regina Angelorum; nam vt rectè dixit S. Anselmus: *Sicut Deus omnia creando Pater est & Dominus omnium: ita B. Virgo suis meritis omnia reparando, Mater est & Domina omnium.* Non decebat autem Dominam esse inferiorem servis; nimirum Sanctis Angelis in perpetua sanctitate, vitæ innocentia ac puritate.

Tertia ratio perfectionis hujus Operis in gratia, fundatur in hoc principio· Quod nullum gratiæ beneficium, alicui puræ creaturæ collatum, B. Virgini negatum fuit. Sed creari in gratia, magnum est gratiæ beneficium, quod Adam & Evæ collatum est; sicuti & Angelis in cœlo creatis, cum exclusione omnis culpæ; ergo vtrimque multò perfectiùs concessum est B. Virgini.

Quarta ratio Operis Dei, MARIÆ scilicet, in omni gratia, petitur ab eo, quod dicit Angelicus Doctor D. Thomas, vt supra notavi; quia si fuisset infecta aliquo peccato, non fuisset idonea Mater Dei; Nam si aliæ gratiæ & privilegia quæ sanctitatem formaliter non augent, requisitæ tamen fuerunt, ex decentia quadam ad dispositionem Matris Dei: vt Virginitatis integritas in partu, carnis incorruptio, carentia omnis inordinati motus & cætera ejusmodi: quantò magis gratia Immunitatis ab omni peccato? Constat igitur MARIAM *Vas* esse *admirabile Opus Excelsi*, consideratam tam in esse naturæ, quàm gratiæ.

His positis quæstiuncula hæc moveri potest: quid fu-

turum fuiſſet, ſi MARIA Virgo, ante Chriſti mortem defuncta eſſet! An ſcilicet deſcenſura fuiſſet ad limbum, vbi Sanctorum Patriarcharum, aliorumque Iuſtorum animæ detinebantur: an verò migratura ejus anima ad aliquem ſpecialem locum in cœlo; ſeu potiùs in cœli atrio, quod mortalibus omnibus Adami pecca-
Diſt. 3. q. 1. to clauſum erat. Scotus & Gerſon inſinuant eo caſu lo-
Ser. de Incar. cum aliquem in Superioribus ſeligendum fuiſſe, vbi tam ſancta anima, à locis inferioribus ſegregaretur: ſed ſapienter providit Deus, ne ſimilis caſus accideret, vt omnia incommoda ceſſarent.

§. 3. *Hinc laudanda* MARIA, *atque in ea Deus ipſe, tanti Operis author.*

CErtum eſt omnia Dei opera, voces quaſdam habere, quibus creatorem & Architectum ſuum lau-
Pſal. 18. dent: juxta illud Davidis. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manum ejus annuntiat Firmamentum.* Ad hoc etiam laudanda Dei Opera in ſe; quandoquidem omnia approbationem Dei acceperint, juxta illud Geneſis:
Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quam igitur laudem meretur ipſamet Virgo *Opus Excelſi*, quæ dignitate, ſanctimonia ac munere omnes puras creaturas longè ſuperat? Laudat Pſalmiſta Regius cœlorũ orbes, eo quod in ijs digitorum Dei opus admi-
Pſal. 8. retur, vnde dicit: *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Quantò magis laudanda & admiranda MARIA, in qua formanda ſummus artifex Deus, nòn digitos aut manus applicuerit: ſed brachij ſui omnipotentis vires ac robur, provt ipſa teſtatur in Cantico? *Fecit potentiam in brachio ſuo.*

Scimus

Scimus inter Dei visibilia opera, maximè hominis creationem ac formationem elucere; ad quam tota Augustissima Trinitas concurrit, provt dicitur initio Geneseos: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Cæterum hoc dixit Deus determinatè nihil exaggerãs: at Virginem MARIAM formaturus aliter locutus est sub figura Sponsę, ex mente Hugonis Carensis Abbatis: *Quid faciemus Sorori nostræ in die quando alloquenda est?* Scilicet Opus magis ex omni parte absolutum facturus, quàm Adam; tota SS. Trinitas rei magnitudinem exaggerans & tantùm non stupens ait: *Quid faciemus Sorori nostræ?* qua sanctitate, qua perfectione. quibus gratijs & ornamentis Virginem cumulabimus, quando alloquetur eam Angelus Gabriel? Quidni ergo laudanda, cui tota SS. Trinitas, ad illam perficiendam & ornandam sic incumbit? Verè igitur MARIA *Vas honorabile, Opus Excelsi.* Cant. 8.

Adverto inter *Elogia* Lauretana, quibus ejusdem B. Virginis MARIÆ laudes continentur & decantantur; maximè ei gratum esse illud audire, *Mater admirabilis*: quod in eo tanquam perfectissimo *Opere Excelsi* omnia lateant, quæ ad illius laudem, & gloriam Divinæ munificentiæ ornamenta pertinere possunt. Quod ipsum aliàs declaratum fuit divinitùs P. Iacobo Rhemio Societatis IESV Sacerdoti in Germania, de quo hæc narrantur. P. Iacobus Rhemius vir famâ & opinione sanctitatis notissimus, amore in Beatissimam Dei Matrem eximio flagravit: illiusque honori amplificando Sodalitium instituit; cujus potissimum esset exercitium & cura, pios de Virgine miscere sermones, quod idcirco Collegium appellavit. In ejus Sodalitatis Sacrario cum interesset aliquando decantandis Virginis *Elogiis*. quæ Raderus in Bavaria pia. Alegambe in Biblioth. Soc.

vſurpantur

vſurpantur in æde Lauretana: cupidus intelligere ecquod encomium præ alijs Divæ Matris placeret: cum eò ventum eſſet, vt *Mater admirabilis* prædicaretur: repente ſpectabilis illi adfuit, multo decora lumine eadem Mater benigniſſima, eoque ſe titulo gloriari ſignificavit: tum ille ex angulo, quem ſemper occupabat, prorumpit in medium & exclamat, ſtupentibus Sodalibus, vt ingeminent tertiò voces illas: *Mater admirabilis*: cognoviſſe ſeſe quàm ſit Virgini Matri gratum illud carmen.

Nec minùs quoque eſt Deo ipſi tam eximij Operis authori gratum iſtud MARIÆ Elogium: quippe qui ſummam in ea condenda lætitiam habuerit. Ita enim
Cap. 52. aliquando Deipara Virgo Sanctæ Melchildi apparens locuta fertur: *Sicut artifex qui mirificum Opus facere decrevit, magno ſtudio præmeditatur, & in delectatione cordis ſui præimaginatur: Sic Beata Trinitas in me delectabatur & gaudebat, quia tale Opus & talem Imaginem facere volebat, in qua totius potentiæ, Sapientiæ & bonitatis ſuæ artificium elegantiſſimè appareret.*

Vt vt ſit neque tantùm in ſe laudanda eſt MARIA, verùm etiam in ea Deus ipſe, tam admirabilis Operis conditor & artifex: qua in te excellentiſſimo ſuo Cantico ipſamet Virgo nobis præit, ita concinens: *Magnificat anima mea Dominum.* Omnia enim in Pſalterio hoc decachordo, vti appellat Guilielmus Pariſienſis, continentur argumenta, vnde meritò à nobis laudandus ſit Deus. Excellentia enim hujus Cantici eſt, quod ex mirabilibus prodigijs & portentis Divinam potentiam, ſapientiam & bonitatem mirificè commendat. Pro quo obſervandum eſt decem carminibus, ſeu verſiculis conſtare hoc Canticum, quibus decem Dei magna mirabilia

bilia virgineo ore prædicantur. Siquidem in primo versu supremam Dei potestatem ac eminentissimum jure creationis Dominum canit, vocans illum per antonomasiam, Dominum: *Magnificat anima mea Dominum.* In secundo, ineffabile redemptionis beneficium exprimit: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* In tertio, clementiam, quâ humanæ conditionis miseriam respicit, & respiciendo sublevat. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* In quarto, magnitudinem Divinorum Operum ponit: *Quia fecit mihi magna qui potens est.* In quinto, tempus divinæ misericordiæ, cum mundo advenisse ostendit: *Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* In sexto, rectitudinem Divinæ Iustitiæ commemorat: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* In septimo, brachium divinæ potentiæ demonstrat: *Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles.* In octavo, misericordiam erga Iustos, & justitiam erga peccatores à Deo exercendam: *Esurientes implevit bonis & divites dimisit inanes.* In nono, omnia signa, figuras, vaticinia, atque scripturas de susceptione carnis à verbo, Laconico stylo tangit: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* In decimo ac postremo, consummationem omnium suorum verborum ponit, ac Dei fidelitatem in adimplendis promissis, pleno ore dicens: *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula.* Quem versiculum meritò Deipara vltimo loco apposuit, tanquam complementum & summam aliorum multorum.

Iam quia, vt cecinit, compendio quodam in MARIA colliguntur, quis non videat Deum in eadem ipsa Virgine, Opere suo præstantissimo jure laudandum

esse: eodemque MARIÆ Cantico, *Magnificat anima mea Dominum*; cujus præstantiam publico exposuit Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus: affirmatque tanta fuisse Canticum hoc metri diversitate cumulatum, vt omnium Canticorum & Psalmorum compendium quoddam, B. Virgo in lucem ediderit.

At quanti meriti erit Canticum illud cum B. Virgine devotè concinere? illud non ferunt mali Genij, inquit Benzonius, sed confestim ex templo diffugiunt: nec potest non placere in gratiarum actionem pro admirabili opere in MARIA facto: maximè vbi cum Maria concinimus: siquidem, vt perpendit Hugo Victorinus non potuit non concinnè, & eleganter cecinisse MARIA, quando scilicet *Recens è Spiritus Sancti in se supervenientis tanta plenitudine & gratiâ repleta, non potuit parvum aliquid, & quod supra terrenarum mentium capacitatem non esset, in laudem Salvatoris sui proferre.* Quod si consideres animam Virginis, quæ organum fuit divini citharædi, cujus cælesti spiritu afflata concinebat; inde non parum etiam redditur commendabile ejus Canticum: erat enim organum temperatissimum, cum nulla in ea non solum dominaretur, sed neque pullularet rebellio, aut discordia carnis adversus spiritum. Instrumenta quidem musica sæpe ob subintrantem pulverem raucescunt, aut suavitatem amittunt: in MARIANUM autem organum, nec minimus peccati venialis pulvisculus vnquam subintravit, vt sacrum Conc. Tridentinum definivit: vnde suavi sua melodia non potuit vnquam non carere. Quid igitur si cum tam suavi ac temperato instrumento, gratias Deo referamus, eumque laudemus, de MARIA, quam jam ostendimus fuisse *Vas admirabile, Opus Excelsi?*

In Prologo super Magnificat.

LITERA

LITERA P.

POSSESSIO DEI.

Dominus possedit me in initio viarum suarum. Prov. 8.

VAriè hoc nomen *Possedit*, apud SS. Patres, & Scripturæ Interpretes exponitur; in quantum hîc Sapientia creata mystico sensu Deiparam Virginem adumbrat. Primò S. Athanasius ex Græco ἔκτισε, legit *præfecit*, tanquam *principium viarum suarum*, & præstantissimum operum suorum; nihil enim MARIA præstantius inter omnes puras creaturas, vt ostendi superiori *Elogio*. Secundò *Possedit*, id est mente concepit; cum cœpit scilicet res moliri & creaturas condere, me præsentem contemplatus est: siquidem propter MARIAM & IESVM, omnia condidit in mundo inquit Galatinus. Sed tertiò docent alij in hoc verbo *possedit* propriè accepto: vt ex hinc maneat B. Virgo *Possessio Dei* per gratiam singularem; quod *Elogium* illi attribuit Andreas Cretensis. Et sic procedo ad Paragraphos.

In Synod. Nizanam.

L. 7. de Arcanis, c. 2.

Ser. de Assumpt.

§. 1. *A quo tempore* MARIA *cœperit esse* Possessio Dei.

§. 2. *Qualitas hujus Possessionis.*

§. 3. *Quod per* MARIAM *à possessione diaboli, ad gratiam, id est Dei possessionem transire liceat & sæpe contingat.*

Vt *Possessio* circa duplicem materiam versari potest,

 nimium

nimium circa rem corpoream & incorpoream, Ita duplici modo acquiri potest jus possessionis. Ad rem incorpoream sufficit actus voluntatis; & sic anima MARIÆ ad Deo possessa est. Quod ad corpus attinet, & quidvis aliud materiale ac visibile; sensibili opus est actione, secundum jura & leges: hinc *Possessio* ex etymologia nominis, est veluti *pedis positio*: quo res acquirebatur: aut alio quóvis modo præsentia reali. Colligit hinc Rupertus, in Incarnatione Verbi Divini, intra sacratissimum Virginis vterum Christum positione pedum intra sanctissimum istud conclave, corporis virginei possessionem adijsse. Sed hîc ad anteriora tempora quæstionem revocamus.

§. I. *A quo tempore* MARIA *cœperit esse* Possessio Dei.

MAjorum Imagines ac ceræ, tituli antiquarum ac nobilium familiarum: tametsi fumo obsiti, magni apud homines fiunt; eo quod non parum valeant ad Dominij alicújus & possessionis stabiliendam fidem: Quærimus ergo hîc à quo tempore MARIA cœperit esse *Possessio Dei*. Innuit thema propositum: *Dominus possedit me in initio viarum suarum; ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret: nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* Nempe in ideis Divinis, ipsaque Dei prævisione ab æterno; ante vniversi molitionem, quasi diceret Virgo: licet juxta veterem Dei legem & pactum cum Adamo initum, & paternâ culpâ, in ipso primo conceptionis instanti, Diabolus possessionem adeat animæ, labe originali infectæ: quæ servitus per culpam traducis ad omnes homines, Adami posteros transit: Aliter tamen, mecum actum est. *Dominus*

nus possedit me in initio viarum suarum: id est cum in alijs hominibus prima possessio ob Adami protoparentis culpam Diabolo cedat: me tamen ab ea lege Deus liberam præstitit, & diabolum præoccupans, ab initio per originalis gratiæ infusionem perfectè possedit.

Quidni hîc proferam Iacobi Christopolitani sententiam ab hinc sæcula duo, qui sic Virginem alloquentem inducit in Cant. Magnificat. *Dominus possedit me in initio viarum suarum: ne per aliquod instans & tempus, diabolus possideret me per aliquam culpam: sed à primo instanti creationis animæ meæ, essem semper Deo grata.*

Et verò quod integrè fuerit à Deo possessa Virgo, per immunitatem à culpa originali, probant servitutes huius peccati, quibus B. Virgo, MARIA nunquam subjacuit. Vt rem clarius exponam: constat apud Iurisperitos, imperfectum quoddam possessionis genus esse, quod servitutibus quibusdam obnoxium est: verbi caussâ, cum prædium aliquod ita possidetur ab vno, vt alteri semitam transeundi, aut aquam dirigendi jus sit: aut cum domus ita ab vno tenetur, vt alter ipsum ex jure cogere possit, ne aut illam attollat, aut deprimat, & alia his similia faciat. Cum ergo nulla in B. Virgine fuerit relicta servitus peccati originalis; signum est, ab initio integrè à Deo possessam fuisse sine vlla macula. *Salazar in hūc locum.*

Habet sanè originale peccatum, etiam postquam ex animo pulsum est, pleraque servitutum jura: sed hæc maximè in fœminis; quæ sunt, multiplicatio partuum, molesta gestatio, ærumnæ, dolores, atque alia puerperij immunditiæ, peccati fomes; & ejusmodi aliæ, partim molesta, partim turpia & indecora. Atqui Richardus Victorinus & alij censent illas servitutes non fuisse in B. Virgine: præsertim quæ ad peccatum ducunt, aut inclinant *Lib. 2. de Emman. cap. 28.*

nant mentem, voluntatem, appetitum, vt in primis fomes peccati. Accedit ad hanc sententiam S. Ambrosius dum ait: *Serpens, id est, Diabolus in auribus Adæ & Evæ semitam fecit: fecit & in pedibus, quibus interdictum fuerat iter ad arborem: fecit & in manibus, quibus contracta sunt poma &c.* Atqui hæ semitæ nunquam fuerunt in Virgine; nec corpus ejus, neque anima communes fœminarum servitutes sensit; vt passim docent SS. Patres: vnde colligitur à peccato nunquam fuisse possessam, & verum esse quod ipsamet asserit sub nomine Sapientiæ. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.*

Lib. de Salomone cap. 30.

De fomite, vt videre est apud Salazar, in Virgine non tantùm ligato, sed etiam restincto, omnes Doctores consentiunt. Et revera indecora fomitis nomina & effectus nulla ratione illi convenire possunt: qualia sunt, propensio in malum, quæ in nobis à peccato relicta est: ideoque fomes peccati dicitur; quia quemadmodum fomes ignem facilè concipit: ita etiam hæc animi propensio, semper velut in promptu est, vt à peccato ceu igne quodam celeriter corripiatur. Nomina fomitis sunt ista: *Lex peccati captivans: habitans in nobis peccatum: tyrannus, innatus Dæmon*; quæ planè abhorrent à B. Virgine. Quod si extinctus in ea fomes fuit: ergo liberata à culpa originali, ex qua fomes iste profluit; ergo integrè possessa à Deo per gratiam, & *ab initio viarum ejus.*

S. Paul. S. Basil. S. Chrysost.

§. 2. *Qualitates hujus* Possessionis.

Vide Salazar ibid.

IVrisconsulti agentes de possessione, aiunt diversas qualitates concurrere ad ejus perfectionem: adeò vt præstans

præstantissimam *Possessionem* statuant eam esse, quæ antiqua, certa & continua habetur. Certa *Possessio* ea appellatur, super quam nulla controversia excitata est: Antiqua dicitur quæ ad præscriptionem adducit: Continua verò quæ omnem etiam momentaneam alterius *Possessionem* excludit; est enim quædam *Possessio* specialis, quæ à jure momentanea dicitur. Est autem duplex momentaneæ possessionis species. Altera quidem est, quæ antiquo possessore per vim pulso, captatur: hujus autem celeris valde reformatio, & restitutio ex juris beneficio provisa est. Alia verò est momentanea possessio rei, quæ ab initio capitur; possessore præoccupato & prævento: hæc verò nec facilem, nec promptam restitutionem habet. Sic docent Legisperiti. Facessant ergo qui diabolo in Virginem, vel vnius momenti, seu instantis possessionem tribuunt. Nam cum hæc momentanea possessio ad secundam speciem pertineat; vtpote quæ omnem aliam alterius Domini possessionem prævenerit, ac præoccupaverit; nec facilem profectò, nec promptam restitutionem habeat, necesse est. Tum quia satis controversum est apud Philosophos, & Theologoss, an res aliqua permanens, quæ in instanti esse cœpit; in proximo tempore desinere post instans possit: & multis quidem doctissimis viris placet, id planè impossibile esse, qui sentiunt omnem rem quæ ad eum modum indivisibilem incœptionem postulat, post reliquam temporis moram perdurare oportere; talis autem incœptio peccati originalis indivisibilis prorsus, atque impartibilis: atque adeò semel si fiat in B. Virginis anima, non tantùm per Conceptionis primum instans; sed per aliquam deinceps moram perseverasse dicendum est. Tum quia si vnius momenti perceleerem

L. Servitus ff. de Servit.

Ad L. prim. C. per vim, & ad L. vlt. C. qui legit.

rem & anticipatam Virginis possessionem diabolo demus; non facilè apparet ratio, cur diuturnior possessio eidem denegari debeat. Nam si indecorum non fuit Virgini per instans & momentum, in diaboli potestatem transire; non satis assequor cur eidem turpe fuerit per longiorem moram in eadem potestate manere. Ita hactenus doctè & subtiliter P. Salazar.

Sed ad alias possessionis qualitates veniamus. Dixi supra inter illas, vnam esse *continuam*: quam scilicet nulla etiam momentanea possessio diaboli, vel anterior per originalem, vel posterior per actualem culpam, Dei possessionem aut præcurrit, aut intercepit. Quamobrem jure annotandum mihi videtur; quod dixit S. Ignatius Martyr, B. Virginem solitam à Fidelibus *Mariam Christi* sive IESV appellari: quod nimirum in Dei & Christi possessionem, totaliter, nullaque interruptione facta, planè transijsset.

Epist. 1. & S. Diony. sup.

Post *antiquam* & *continuam* possessionem, restat illa quæ apud Legis-peritos vocatur *Certa*; quæ scilicet nunquam in dubium & controversiam vocata est. Puta ergo hanc animæ possessionem, quam Deus per gratiam & Iustitiam captat, læthali peccato interpellari, & per veniale incertam reddi. Nam possessionis continuatio non aliter, nisi alio rem occupante, intercipi potest: animam verò sola lethalis culpa Deo eripit, & ab ejus potestate in diaboli ditionem transfert. Certitudinem verò possessionis mala fides excludit, & quidquid illam dubiam & ancipitem reddit. Quapropter cum peccatum veniale dispositio sit ad mortale, ejusque periculum nunquam non homini creet, quoties illud admittimus; etiamsi Deum ab animi nostri possessione non statim pellamus; tamen ejusdem possessionem quodam-

modo

modo incertam, dubiam & ancipitem reddimus: quatenus nos læthaliter peccandi, atque adeò ipſum à ſua poſſeſſione deturbandi periculo objicimus. Fuit ergo in B. Virgine non ſolum continua per remotionem culpæ mortalis, aut originalis, ſed etiam *certa* omnino poſſeſſio: vtpote quam ne leviſſimum quidem peccatum incertam, aut dubiam præſtitit.

At inquies, ſi certa & antiqua Dei poſſeſſio, Dei genitrix MARIA extiterit: vnde tot inter Catholicos Scriptores de hoc Immunitatis originalis privilegio, diſputationes & controverſiæ? Reſpondeo licet inter fideles aliàs, & calamo & linguis digladiatum fuerit; nihil tamen de hac Dei poſſeſſione in ſe ſpectata, certitudinis diminutum fuiſſe: juxta illud Davidis: *Quæretur* Pſal. 9.
peccatum illius, & non invenietur.

Præter has poſſeſſionum ſpecies & qualitates; alia eſt etiam quæ *ſolemnis* nuncupatur: & talis etiam fuit poſſeſſio MARIÆ à Deo, primo ipſo inſtanti Conceptionis ſuæ immaculatæ. Cui aptari poteſt illud quod dicit David. *Fundatur exultatione vniverſæ terræ, civitas* Pſal. 47.
Regis Magni. Neque hanc Conceptæ & à Deo poſſeſſæ Virginis ſolemnitatem terræ limitibus circumſcribo: evaſit ad Superos, & ab Angelis, totaque Curia cœleſti celebrata eſt, vt antea commemoravimus.

§. 3. *Quod per* MARIAM *à diaboli poſſeſſione, ad gratiam*, id eſt, *Dei poſſeſſionem tranſire liceat, & ſæpe contingat.*

OPeræ pretium exiſtimo, tantiſper hîc differere de poſſeſſione & tyrannide peccati; vt ab infelici illo ac miſerrimo ſtatu, operoſiùs ac citiùs MARIÆ patrocinio

Ioan. 8. trocinio, ad Dei possessionem revertamur. De hac possessione Satanica ipsomet Christi edicto edocemur: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Et ita quidem vt quicunque sub peccato venundatus est, suus amplius, nec Dei esse possit; sed sub potestate dæmonis, & peccati verum mancipium. De hoc luculenter sic scribit D. Ambrosius in illud Davidis: *Tuus sum ego, salvum me fac Domine. Apostolorum vox ista est, nec omnium tamen Apostolorum; Nam & Iudas Apostolus fuit, & in convivio Christi inter Apostolos recumbebat. Dicebat & ipse: Tuus sum: sed voce, non corde. Venit & introivit in eum Satanas, & cœpit dicere: non est tuus,* IESV, *sed meus est. Denique ea quæ mea sunt, cogitat: quæ mea sunt in pectore suo voluit; tecum epulatur & mecum pascitur: à te panem accipit, à me pecuniam: tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vendit: tuus est Apostolus, & meus servus ac mercenarius.* Postea vt clariùs ostendat hanc diaboli possessionem in homine per peccatum quodlibet, sic ait: *Non potest dicere sæcularis, tuus sum ego: plures enim Dominos habet. Venit libido & dicit meus es: quia ea quæ sunt corporis concupiscis; in illius adolescentulæ amore te vendidisti; in illius concubitu meritricis pretium pro te annumeravi. Venit avaritia & dicit: argentum & aurum quod habes, servituti tuæ pretium est; possessio quam tenes, juris tui emptio est, venditio libertatis. Venit luxuria, & dicit meus es; unius diei convivium pretium vitæ tuæ est: ille sumptus epularum, tui capitis licitatio, tui est summa contractus: & quod caput est caro emptus es pretio, vilior cibo es tuo: inter calices te redemi, inter epulas acquisivi. Venit ambitio, & dicit planè meus es: nescis quod alijs imperare te feci, vt mihi ipse servires? Veniunt denique omnia vitia, & singula dicunt:*

In Psal. 118.

meus

meus es, quem tanti competunt, quàm vile mancipium est? Atque hactenus de hominis possessione à diabolo per vitia: at de vilitate & tyrannide hujus servitutis, ac possessionis quis satis loquatur? S. Chrysostomus dicit peccatum nos redigere *vsque ad matulam*: quod turpissimum servitutis genus est inter homines: ideoque peccatorem appellat, *Vas in quod Dæmon sordes suas & excrementa projicit.*

Sed quàm severe & crudeliter peccatorem possidet Diabolus; quibus compedibus, quâ catenâ? Respondent huic quæstioni D. Augustinus, dum suam ipse miserrimam servitutem describit: *Velle meum*, inquit, *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat; suspirabam ligatus non ferro alieno; sed ferrea mea voluntate.* Et ita quidem vt quiescere sub illa servitute nullo vnquam tempore queat: in quo maxima est à servitute hominum differentia, nulla comparatio. Nam inquit idem D. Augustinus; *Servus hominis aliquando Domini sui duris imperijs fatigatus, fugiendo quiescit: servus peccati quò fugit? secum se trahit, quocunque fugit. Non fugit seipsam mala conscientia; non est quo eat: sequitur se; imò non recedit à se. Peccatum enim quod fecit, intus est*: Quod scilicet illum quiescere non sinit.

In Confess.

Tract. 41. In Ioan.

Cæterum à miserrimo illo possessionis statu per MARIAM ad Dei & gratiæ possessionem redire licet. Oravit aliquando S. Birgitta pro filia quadam, quam Dæmon fœdis amoribus & peccatis luxuriæ irretitam possidebat. Oranti Birgittæ, filiæ hujus statum ostendit B. Virgo; vidit enim duas manus nigerrimas ad aures Filiæ, duas ad oculos; aliam circa cor: schema nimirum possessionis Satanicæ. Evicit tamen Sancta Birgitta suis orationibus, & animam illam adeò miserè ac tyrannicè

In Revel.

possessam eripuit diaboli manibus, & gratiæ restituit. Quàm igitur illa, & innumeræ aliæ dicere possunt B.
Psal. 115. Virgini semper à Deo per gratiam possessæ: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Addo quod amplius est, Deiparam Virginē non modò à possessione diaboli, illiusque vinculis nos eximere: verùm etiam ipsummet dæmonem compedibus & carceri mancipare, ne vltra noceat. Collector speculi Exemplorum B. Virginis, in Libro qui dicitur *Mariale*, narrat quod sequitur, ejusdem verbis hîc relatum. *Fuerunt*, inquit, *Monasteria duo Ordinis S. Bernardi, non longè à se invicem distantia: vnum mulierum & alterum virorum, in quibus singuli, & singulæ, juxta Institutionis suæ Regulam Domino devotè serviebant. Erant autem & in ijsdem Monasterijs duæ personæ, quarum vtraque in suo Conventu Custodis officio serviebat. Propter morum autem & sanctitatis vitæ parilitatem, se mutuo in Domini charitate arctiùs diligebant; ita vt vbi alter alterius obsequio egeret (prout officij opportunitas sæpe exigebat) sibi alternato Monasterio servirent. Talem autem suæ charitatis curam adhibebant, vt nequaquam sibi corporali præsentia propinquarent; nec sibi loquerentur, nec suis aspectibus se offerrent. Fervebant autem ambo in servitio Dei, ac gloriosæ Matris ejus. Custos verò Conventus virorum, ob singularem ad Dominam nostram devotionem & reverentiam, Imaginem quandam pulchriorem, quò potuit ejusdem Virginis* MARIÆ *sibi fieri imperavit, sub cujus pedibus imaginem Dæmonis, quò horribiliùs ac turpiùs excogitare potuit, ordinari fecit. Postquam verò longo tempore in jam dicta devotione B Virginis devotè servijsset; stimulatus Dæmon de facto Custodis, puritatem intentionis ejusdem ampliùs sufferre non potuit: venitque*

In Mariali. Carthag. lib. vlt.

venitque in figura quâ eum Custos formari fecerat, obviam, in quadam nocte, cum ad pulsandum ad matutinas surrexisset: eum protervo ac irato vultu intuens, in hæc verba prorupit. Cur hanc mihi opprobriosam confusionem exhibuisti, ut me tam turpi forma faceres depingi, sub pedibus pulchræ illius Imaginis MARIÆ *Dominæ tuæ: ubi contrarijs juxta se positis, mei figura, alia magis elucescente horribiliter apparet? Nisi me citiùs deposueris, talem tibi providebò confusionis talionem, ut te me sic offendisse pœniteat. Quo audito, cum visionis ejus horror conceptus paullulum abscessisset, Custos in hæc verba respondit, dicens: Recede à me Satana; tuas minas non curo; cui ergo servio poterit me de tuis manibus eripere. Quo dicto inimicus velut in fugam versus disparuit. Post hæc multo tempore, cum Custos minarum Diaboli non memoraret, ac doli ejus inscius sibi non provideret; Diabolus humanæ salutis semper inimicus redijt, & Custodi confusionem, quam promiserat, Deo permittente inferre curavit. Nocte igitur quadam in primo somno, ante tempus matutinarum Custodis fœminæ indutus formâ, ad cellam Custodis, velut introitum postulans, pulsavit. Custos verò tali tempore timoris insuetus surrexit, & aperiens cellæ januam, quisnam ibi esset, aut quid sibi vellet inquisivit. Cui diabolus: Ego inquit amica tua charissima talis Monasterij Custos tibi fidelis: quæ quoniam in tui amorem vehementer exarsi, amoris vehementiâ tibi ampliùs abesse non potui: magno itaque tacta amore ex Monasterio meo ad te huc perveni, assumens pretiosiora cuncta Monasterij nostri clenodia, quæ nobis longo tempore, suo valore vitæ necessaria poterunt ministrare. Nunc igitur surge velociùs, omni mora postposita mihique sociare: quidquid etiam tu pretiosorum clenodiorum ac ornamentorum habere poteris, te-*

cum assimens: in ignotam regionem, vbi cupitâ possumus frui praesentiâ simul pergamus. Satanas quoque sicut Custodi loquebatur extrinsecus, sic tentationibus suis, animam ejus ampliùs excitando, movebat intrinsecus; ita vt quid illi responderet, non inveniret: sed verborum ac tentationum ejus victus importunitate fidem illi adhibuit: cellam egressus est; & quidquid de sua Custodiae commissis clenodijs Monasterij & ornamentis habere poterat, in saccum unum colligens cum diabolo veluti cum Custode dilecta, à Monasterio fugam petens, abscessit. Cum autem per aliquantulum spatium à Monasterio recessissent, voce lacrymabili conquestus est diabolus, se quoddam pretiosissimum Monasterij sui clenodium fuisse oblitum, quod omnia habita praecelleret valore, dixitque ad Custodem: Tu hîc sede amice charissime, & reditum meum praestolare: ego citiùs quò potero quaesito & allato illo, festinè ad te redibo. Credit Custos, & abscendente Diabolo, solus cum furto remansit in campo. Diabolus verò postquam recessit à Custode, venit in Monasterium, & ingressus dormitorium magnum strepitum commovit: clamans alta voce: surgite, surgite, & citiùs Custodem qui cuncta furatus est insequentes, comprehendite: surrexit Abbas & totus Conventus cum eo & perlustrantes singulas clausuras apertas, & pretiosiora quaeque clenodia, & ornamenta Monasterij sublata invenerunt. Vnanimiter ergo Monasterium egressi & Custodem insecuti: non longè à Monasterio solum invenerunt & furtum cum eo. Quem comprehendentes cum quid diceret, & furto praesente confusus non inveniret: secumque vehementer tacitus miraretur, quomodo in hoc infortunium incidisset: eum in Monasterium reducentes, incarceratum ambobus pedibus cippo arctatis, & affixis, vsque in diem crastinum: quando de facto melius delibera-

deliberarent, dimiserunt. Alteri interim Monacho, vt ad matutinas tempore congruo, loco Custodis pulsaret, committentes, ipsi se quieti tradiderunt. Quiescentibus singulis, cum Custos facti sui turpitudine confusus solus sederet in carcere & cippo: secumqúe miserabilem casum, tacita mente, cordeqúe contrito revolueret, & præ cordis anxietate erumpentibus lacrymis bene contritus amarissimè fleret; solatiumqúe sibi sub sole nullum superesse conspiceret, devoto corde se transtulit ad omnium desolatorum consolatricem MARIAM, *casum suum ei conquerens in hæc verba.* O mea Mater omnium peccatorum misericordissima patrona: quoniam vt probè nosti, totum me tuis servitijs mancipavi: per tuam infinitam clementiam te deprecor, vt mihi casu hoc lacrymabili innocenter circumvento, tuam misericordiam gaudeam affulsisse. *Cumqúe jaceret in oratione, & totius spei ancoram in Matrem misericordiæ conjecisset: ecce subitò in forma, quâ eum depingi fecerat, Satanam adesse conspexit, sibi suum infortunium improperantem, atque dicentem:* Ecce, inquiens, quomodo quod ante promiseram, vt mihi de facta injuria tibi reddam rationem, jam persolvi. *Custos cordis dolore confusus, quid suis responderet improperijs non invenit. Cui Diabolus:* Ecce quod tibi ante promiseram, jam me cognoscas implesse: sed tam MARIA Domina tua, mota quam ad te gerit compassione, me imperiali potentia, quod invitè facerem compulit. *His dictis Dæmon Custodem excusso cippo liberavit, & vt illinc discederet imperavit. Custos cellam suam secretò petijt, ac Diabolus in forma Custodis transformatus in cippo carceris pro eo invitus & compulsus resedit. Custos verò totus gratulabundus, misericordiæ gloriosæ Virginis (cujus imperio fuerat liberatus) gratias,*

tias, quas potuit, retulit tempuſqúe matutinum totus lætabundus exſpectavit. Cumqúe prope eſſet, quod impulſu horologij tempus matutinarum ſignaretur; quod etiam in loco Officij ſui ſtaret ordinatus exſpectavit, Eccleſiam introivit; atque vt ſolet decantandi Monachis ſignum dedit. Quod vt Frater vice ejus ad pulſandum ordinatus, audivit mirabatur, quiſnam ibi eſſe potuit, qui ipſum pulſando etiam ante tempus præveniſſet; eo quod dum Cuſtos incarceraretur adſuiſſet. Ad Eccleſiam igitur feſtinus accurrit, & Cuſtodem pulſantem inveniens, cum vehementer miraretur, Abbatem ac Fratres cæteros adijt, & quod Cuſtos fracto carcere violenter, confugiſſet, intimavit. Surgentes illi carcerem adeunt, atque vt ſibi videbatur, Cuſtodem incarceratum, vt eum ante reliquerant invenerunt. In chorum quoque Eccleſiæ veniunt, & Cuſtodem (vt ibi ſolet) aſpiciunt. Dixitqúe Abbas Fratribus ſuis: Tota hac nocte Fratres mei, diabolica ſumus deceptione vexati: vt acceptâ aquâ benedictâ cum pulſantem Cuſtodem aſperſiſſet: ille aſperſionem humiliter (vt verè humilis erat) reverenter accepit. A choro igitur ad carcerem cum Conventu redijt, vbi vt ſibi videbatur Cuſtodem incarceratum ſedentem invenit: Cumqúe eum (vt vero Cuſtodi ante fecerat) etiam aquâ benedictâ aſperſiſſet: ille dimiſſo magno fœtore, vt fumus evanuit: ſicqúe diſcordiæ ſeminator maleficus, Fratres ſingulos cum Cuſtode duplici cuſtodia liberato, pacificavit invitus.

Apparet igitur ex hac hiſtoria, quæ Comœdiæ non ingratæ anſam præbere poteſt, Virginis patrocinio à poſſeſſione peccati ad gratiæ ſtatum: ipſumque dæmonem vice verſa, totius doli fabricatorem, ad inſtitas redigi, atque incarcerari poſſe.

Quis ergo MARIAM jure laudandam, non cenſeat, vtique

vtique à Deo semper possessam; ipsamque *Dei possessionem? certè*, vt inquit D. Fulgentius, *vna in homine & in Angelo per* MARIAM *gratia operata est: sed in homine vt surgeret* (scilicet à peccato & servitute Diaboli) *in Angelo ne caderet.* *Lib. 2. ad Transf. Reg. cap. 3.*

LITERA

Q.

QVIES DELICIOSA.

Qui creavit me requievit in tabernaculo meo. Eccli. 24.



Variè accipitur hoc verbum *Creavit*, *Bara* Hebraicè, vt annotat Cornelius à Lapide in Genesim: quare, si de qua agitur, Sapientiam Increatam intelligas; illud *Bara* reddi potest, *Concepit me*; atque ita sensus est; Deum in seipso per identitatem essentiæ requievisse. Quod si de Sapientia creata, sive de B. Virgine sermo sit: certum est Verbum Incarnatum requievisse in vtero Virginis. Ex quo SS. Patres B. Virginem *Quietem* Christi, & quidem *deliciosam* appellarunt. Ita D. Chrysostomus, cùm eandem vocat Κεῖλρὸν, quod *quies* est: S. Bonaventura, Chrysippus, Petrus Damianus. *In Spec. De Assumpt. B. Virg.*

§. 1. *Quomodo B. Virgo dicatur* Quies Deliciosa.

§. 2. *Quod hæc nomenclatura* Quietis, *à Deo & Christo ad omnes Electos transeat.*

§. 3. *Quid faciendum ut istius Quietis Marianæ beneficio frui possimus.*

Vt quies & Sabbatum apud Hebræos, idem sunt; non mirum est, si Sabbati dies B. Virginis MARIÆ Sacer habeatur. Et verò Sabbatina hæc Quies Virginem respicit; non modò ratione morali; sed & prodigiosa. Durandus Sabbati cultum Virgini cessisse scribit, à miraculo veli Imaginem Deiparæ Constantinopoli velantis, quod Vesperis Feriæ sextæ, recedebat, & post Vesperam Sabbati redibat. Alterum est de fluvio Sabbatico de quo Iosephus sic loquitur. *Conspicit Vespasianus in itinere fluvium, qui fluit medius inter Arcas & Raphaneas Agrippæ Regis civitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum. Nam cum sit, quando fluit, plurimus, neque meatu segnis; tamen interpositis sex diebus deficiens, siccum exhibet locum; & quiescit: Unde etiam Sabbathicus à sacro septimo Iudæorum die, qui quietis est, sic appellatus.* Sunt præterea rationes morales cur Sabbatum, sive dies quietis Deiparæ conveniat & sacer illi sit: quia nimirum, inquit S. Bernardus Sabbato insequente Passionem Christi, sola Virgo permansit in fide; sunt hæc ejus verba: *Passionis tempore omnes Discipuli relicto eo fugerunt: sola illa quæ benedicta est inter mulieres, per illud triste Sabbatum stetit in fide, & salvata fuit Ecclesia in ipsa sola: propterea gratissima Sancta Ecclesia ad laudem & gloriam ejusdem Virginis, diem Sabbati, per totius anni circulum celebrare consuevit.* Sed ad delicias hujus Quietis propiùs accedamus.

In Ration. diu. Offic.

Lib. 7. de bello Iudaico, cap. 24.

De Pass. cap. 2.

§. 1. *Quo-*

§. 1. *Quomodo B. Virgo dicatur* Quies deliciosa.

IN primis, vt simpliciter probemus quievisse Christũ in MARIA Matre, antequam ad hujus Quietis delitias veniamus. Præterquàm quod supra in Themate attuli; *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*: expenditur à Celada nostro. Locus ille Geneseos: *Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat; & requievit die septimo ab vniverso opere, quod patrarat.* Nec Pauci inquit Celada, neque ignobiles Interpretes seriò censent, Evam die septimo esse productam: & inde non levis excitatur difficultas, quare Deus cùm Evam producit, quiescere dicatur, qui in reliquarum rerum creatione, quasi laborare dicitur. Quid laboris invenitur in Angelorum productione, in cœlorum fabrica, in hominis creatione, & reliquarum rerum molitione, à quo requiescit, dum Evam fœminam condit? Lassantur fortasse Dei manus dum reliqua molitur & laxamentum inveniunt cùm Evam fabricant? Siccine requiem invenit, dum Evam condit, qui quasi laborat in reliquorum molimine? Adumbratur hîc in Eva, MARIA Virgo Deipara: in qua Deus à labore requiem quasi invenit. Hoc innuit Chrysippus Hierosol. qui hæc verba Psalmistæ: *Surge Domine in requiem tuam*, ita commentatur de B. Virgine. *Tua*, inquit, *Requies est Virgo, & vterus ejus tua Requies.* Hinc & *centrum* dicta est MARIA, & S. Chrysostomo, vt supra monui; in quo scilicet omnia naturali vi & conditione quiescere solent.

In Iudith. in Append. cap. 15.

Gen. cap. 2.

In Psal. 131.

Cæterùm non tantùm ac simpliciter B. Virginem, Dei Quietem esse ostendo; sed illam deliciosam. D. Isidorus Isolanus agens de privilegijs & benedictioni-

Vide Nouar. 3. part. cap. 26.

dictioni-

ctionibus Iosephi Sponsi Sanctissimæ Virginis, adducens illud Geneseos: *Benedixit Deus diei septimo, quia requievit in eo ab omni opere, quod patrarat.* Sic ait: *O quoties, IESV maxime, in gremio Ioseph quievisti? ejus collum teneris tuis brachijs complexus es; illius hærens pectore & humeris? Quievit ergo Deus in Ioseph corporaliter; quievit etiam spiritualiter per donum gratiæ gratum facientis. Quievit fiduciâ desponsans ei Matrem: quievit curâ vocans illum Patrem: quievit lætitiâ, laboribus ejus vivens. Verè Ioseph magnus est dies ille Sabbati, in quo quievit Deus ab omni opere, quod patrarat.* Felix Ioseph, in cujus sinu Christus requievit, qui omnium est quies, omnium pax.

Quod si deliciosum fuit IESV, requiescere in sinu Ioseph, quanta suavitas eidem Christo requiescere in sinu Matris, intra viscera ejus castissima; idque novem mensium spatio integro? Quidni præstet audire SS. Patres, qui super ea re mentem suam exposuêre? B. Petrus Damianus Cardinalis sic scribit. *Cum fecerit Deus omnia opera sua, & omnia valde bona: hoc meliùs fecit consecrans in B. Virgine reclinatorium aureum: in quo post tumultum Angelorum & hominum se inclinaret & quietem inveniret.* Nota & expende illud: *post tumultum Angelorum & hominum.* Quis obsecro ille tumultus fuit? post quem videtur Deus captasse quietem aliquam ex mente Damiani? Dicendum est non aliud fuisse, quàm peccata, partim in cœlo ab Angelis reprobis commissa, partim in terra ab hominibus: quæ peccata veluti tumultum cient, & bellum Deo indicunt. Post hunc ergo tumultum belli invenit Deus quietem in Virgine, in qua nulla vnquam peccati originalis, aut actualis hostilitas extitit.

Ser. de Annun.

S. Ambro-

S. Ambrosius vt ostendat Deum in eadem Virgine MARIA quietem invenisse, imò deliciosam: ait cœpisse tum peccata hominum condonare, eosque sanctificare suarum gratiarum charismatibus & donis. Remittere autem culpas & veniam peccatoribus largiri, Dei quies est, ac Sabbatum. Idcirco prætatus Doctor curiosè ad illa verba Geneseos: *Requievit die septimo.* Cur non ante? inquit, quia nondum hominem produxerat, cui peccata dimitteret. *Fecit ergò cælum*, inquit S. Ambrosius, *non lego quod requieverit: fecit solem, lunam & stellas, nec ibi lego, quod requieverit: fecit hominem & lego quod requieverit, habens cui peccata dimitteret.* Et verò cœpit tunc peccata remittere quiescens in vtero Matris, factus per incarnationem verè *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi:* cum jussit vt MARIA *pergeret in montana cum festinatione*, vt salutaret Elizabeth, & Ioannem ab originali peccato eximeret. *Lib. 6. Hexam. c. 14.*

B. Zeno eandem viam ingressus, considerans Filium Dei hominem factum in vtero Virginis, *Requievit*, inquit, *illic libens, tanquam in florentissimo domicilio castitatis.* Additque iterum D. Ambrosius: *Et nisi sibi vim faceret, inde non exiret.* Quod ad rem præsentem notatu dignum planè videtur: adducto exemplo Ioannis Baptistæ ex mente D. Chrysostomi, qui expendens illud, quod narrat Evangelista: *Exultavit infans in vtero meo*: sic exponit: *exiliens Ioannes in vtero materno tarditatem naturæ accusabat: labefacto, inquit, vincula naturæ, propero prædicare.* Et alibi saltum illum Ioannis in vtero explicans, dicit quod accusaret moram partus, & *naturam quodammodo calcitraret.* Ergo Ioannes ex zelo prædicandi impatiens est, vincula & moras non patitur, exire vult foras, atque ex vtero prodire: Christus in *Ser. 3. de Nat.* *Hom. 2.*

visceribus MARIÆ, majori zelo animarum æstuans, sustinet tamen, ita vt teste D. Ambrosio, *Nisi sibi vim faceret, inde non exiret:* Quamobrem evidenter satis ostendit, *quietem* illam vteri materni *deliciosam* sibi esse.

§. 2. *Quod hæc nomenclatura* Quietis *à Deo & Christo, ad omnes Electos transeat.*

POst consideratam in MARIA *Dei Quietem & placitum vmbraculum,* quibus nominibus eam compellat S. Bonaventura: quæritur quomodo felicitas illa Quietis & vmbraculi ad homines, præsertim ad Electos transire possit. Primùm à contrario id facilè colligi posse videtur. Quid enim nos quamdiu hanc mortalem vitam degimus, inquietare ac turbare solet? vt plurimùm, ingruentis belli timor, flagellum conscientiæ, mors denique ipsa morbis vndique armata. Atqui si hæc omnia per MARIAM cessent, vmbraculum certè, & suavissima Quies per eandem Virginem nobis præparatur. Experientia constat nihil magis mortalium quietem perturbare, quàm belli metus, tympanorum strepitus, tubarum clangor, hostium incursus, quibus amœna ruris otia interdicuntur hominibus. Quinimo nec in vrbibus tranquillitas esse potest.

In Psal.

Dum quatit attonitos hostilis machina muros,
Non bene pacatis civibus esse licet.

At sub vmbraculo & tutela Virginis pax summa est: vel aspectu solo verentur illam hostes, ne propiùs accedant: quippe in suorum favorem, *Terribilis est vt castrorum acies ordinata.* In hoc Evæ contraria, de qua Petrus Damianus ita scribit: *Per Evam potus mortis porrigitur: per* MARIAM *vitæ & pacis poculum exhibetur.*

Ser. 3. de Nat.

Gravior

Gravior est bello, tumultus interior conscientiæ, quocum quies nulla & pax esse potest. Multa de bello illo interno mentis, quod peccatum lethale suscitat, dixerunt SS. Patres. *Vbicumque fuerimus*, inquit S. Chrysostomus, *ipsa nos circumit, obturbat, laniat, flagellat & nunquam quiescit. Sed & domi & in foro, & in templis, & in mensa, & dormientes & surgentes adoritur, rationem delictorum exigit, & ob oculos proponit criminum gravitatem, & subsecuturam pœnam.* Simili modo ratiocinatur de conscientia S. Augustinus. *Novit, charitas vestra, quàm multi multa patiantur in publico, in foro, in jurgijs, in contentionibus, & molestijs negotiorum. Quomodo quisque fatigatus negotijs currit ad domum suam, vt ibi requiescat. Si verò & ibi molestias patiatur, vbi poterit requiescere? Si foris patitur inimicos, intus autem vxorem malam habeat, vbi erit requies? Saltem in cubili cordis, vt tollas te ad interiora conscientiæ tuæ. Si ibi invenisti conjugem, quæ tibi non faciat amaritudinem, Sapientiam Dei, cum illa conjungere, quiesce intus in cubili tuo; non inde te ejiciat fumus malæ conscientiæ*: Et quietem illam nobis procurat B. Virgo, timore Dei, bonâ vitâ, & exercitio virtutum. Nam verus MARIÆ Cliens malè vivere non potest: vt enim *Habitus signum est vitæ; ita affectus in Virginem indicium est vitæ spiritualis, atque adeò bonæ vitæ*, inquit Germannus Ierosolymitanus. Atque hinc *quies deliciosa* & Sabbatum, vti testatur S. Augustinus. *Intus est*, inquit, *in corde est Sabbatum nostrum: omnis homo malus Sabbatum habere non potest: cui autem bona est conscientia tranquillus est, & quietus, & ipsa tranquillitas & quies, Sabbatum est cordis.*

Hom. 17. in Gen.

In Psal. 15.

In Psal. 91.

Mors denique vt plurimum in exitu hujus vitæ nos turbat, ob multa quę illam committantur molesta & turbida.

turbida. Sed facilè dissipat hæc omnia Virginis aspectus, quem multis suorum Clientum cum morte luctantium, vt propitia Mater indulsit. Et vt Physicè id omnibus non præstet: spiritualiter tamen nemini vnquam, qui in ejus amore vixerit, negare solita est. Et ab aspectu Virgineo tranquilla & beata mors adveniat, necesse est.
In Spec. c. 3. De quo scitè D. Bonaventura, quod ex S. Anselmo sumpsisse videtur. *Sicut*, inquit, *O Beatissima, omnis à te aversus & à te despectus, necesse est vt intereat: ita omnis ad te conversus & à te respectus impossibile vt pereat.*
In Physiol. cap. 3. De Charadrio ave mirabile quid scribunt Physiologi, cujus etiam mentionem facit D. Epiphanius: qui hanc avem esse ait coloris candidissimi, absque vlla prorsus nigredinis nota. Si quis autem morbo laboret, sitque ejus ægritudo læthalis, prospectum suum ab eo avertit: si verò morbus securitatem vitæ promittat, Charadrius in ægrum intendit visum, & vicissim æger in Charadrium. Scio Epiphanium id Christo applicare; sed nihil vetat, quò minùs id etiam Sanctissimæ ejus Matri MARIÆ adaptemus: juxta dictum S. Bonaventuræ, & S. Anselmi. Cum ergo omnia quæ sunt in morte horrida, per B. Virginem aut aufferantur, aut molliantur: quis neget, quam invenit Christus Verbum Dei *Deliciosam* in MARIA *Quietem*, etiam ad Electos, & devotos ejusdem Clientes transire posse? Et verò non paucorum exemplis id probari potest: instar omnium erunt, quæ
Sacchinus in vita, subjungo. Ægrotabat febribus B. Stanislaus Kostka adolescens nobilis Polonus, antequam Societatem IESV ingrederetur: & vt erat B. Virgini mirum in modum affectus: territus à dæmone, qui nigerrimi atque horrendi canis speciem induerat, cubile jacentis ingressus: At simul ac Deiparam Virginem invocasset; adfuit illa, &
ad

ad lectum ægrotantis accedens, protinus Cerberum illum Infernalem, simul morbum jussit abesse, & ægrotum sanitati pristinæ & quieti restituit.

Fecit eadem Virgo, vt Nicolaus Tolentinas ex Ordine D. Augustini, suavissimè & placidissimè animam exhalaret: de quo ita legimus. Sanctus Nicolaus Tolentinas post virtutum exercitio, & religiosæ disciplinæ observantiâ vitam diligenter exactam; sex totis ante obitum mensibus, paulò antè nocturnas preces, singulis noctibus suavissimum Angelorum concentum audire solitus erat: qui illi quasi prægustationem futuræ vitæ, & quietis æternæ promittebat. Ergo in extremo jam spiritu constitutus, voces fundere cœpit lætantis, atque gestientis: cujus invsitati gaudij cum Fratres, qui aderant, causam quæsivissent; attonitus ille, vixque sui compos præ magnitudine rei: *Dominus meus* IESVS *Christus*, inquit, *Sanctissimæ Matri suæ, & Augustino Patri nostro innixus dicit mihi: Euge bone & fidelis intra in gaudium Domini tui*: in quibus verbis animam piè placideque exhalavit.

Platus lib. 1. cap. 31.

Simile etiam quoddam ejusdem Virginis beneficium extitit in Adulpho Franciscano, qui cum relicto Alsatiæ Principatu Sanctam, & humilem in ea familia vitam egisset: moribundo adstitit B. Virgo, multis Angelis stipata, eumque trepidantem ita confirmavit. *Quid times Fili? cur ob imminentem mortem angeris? veni securus, quoniam Filius meus, cui fideliter servijsti, dabit tibi coronam gloriæ.* Quibus verbis animatus quietè, & tranquillè animam reddidit

Idem & in Chron. S. Franc.

§. 3. *Quid faciendum vt istius Quietis Marianæ beneficio frui possimus.*

QVod ſupra dixi de *centro*, quo nomine B. Virginem MARIAM exornat D. Chryſoſtomus: duo hîc annotare placet, & quietem & motum, ſive ſtimulum ad agendum, quod vtrumque *centro* convenit. Primò ſiquidem certum eſt experientiâ, nihil rerum naturalium quietem reperire poſſe, niſi in *centro*. Ita ignis elementaris, quamdiu hîc in inferioribus detinetur, circa materiam aliquam combuſtibilem, continuò agitatur; donec tandem ad ſpheram ſuam perveniat, illic in *centro* ſuo quietem habiturus. Hinc probat S. Auguſtinus, cor humanum nullibi in creaturis quieſcere poſſe, quia propter Deum creati ſumus, qui finis eſt noſter ac *centrum*. *Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.*

Alterum eſt, quod *centrum*, idem ſit ac ſtimulus ad agendum: ſic videmus omnia Elementa ad *centrum* properare, naturali quadam impreſſione ac impetu: omnia diſrumpere obſtacula & obices; vt notare eſt in fluvio, qui aut repagula diſrumpit, aut alio curſu per lata camporum viam ſibi quærit, vt oceano ſe reddat.

Talis MARIA nobis eſſe debet & requies quia *centrum*: ſimul tamen ſtimulus quidam, quo ad ejus cultum promovendum, indeq; ad ejuſdem auxilia & favorem promerendum diligenti actione, & pietatis exercitio provocemur.

Et quoniam de Sabbato diſſerere cœpimus: juvat hîc ponere, quomodo Sabbati ſui cultoribus benefica ſit Virgo: vt ſcilicet per eum cultum, ad æternum nos Sab-

batum, tendere, & *Quietem deliciosam*, qualis in hac vita esse potest, & quæ maximè in cœlo exspectatur, nos captare, ostendat.

Certè de S. Ildefonso Archiepiscopo Toletano hoc habemus: scripsisse primò librum de perpetua Deiparæ virginitate: secundò novem Lectiones in Officio ad Deiparæ honorem, quolibet Sabbato dicendas confecisse. Cumque die quodam Sabbati, admirabilis in Ecclesia harmonia resonaret: arbitratus eo absente Canonicos matutinum Officium persolvere, ocyus cum suis ad Ecclesiam perveniens: admirabilem vidit claritatem, & Angelos Officium illud à se editum decantantes; ac B. Virginem, quam Angeli laudabant in Episcopali Cathedra residentem: absolutisque matutinis S. Ildefonso ad se vocato, casulam ad celebrandum cœlitus allatam, largitam fuisse. Hæc ex Pelbarto.

Vide Canisium de B. Maria Pelb. lib. 1. Stellarij.

Singularis est etiam Ordinis Carmelitarum erga B. Virginem devotio, à S. Scapularis Confraternitate cujus Sabbatina est Indulgentia, liberatio animarum è Purgatorij pœnis, ac quietis æternæ adeptio. De qua re Carthagena sic scribit: recitatque verba Sixti IV. Pont. Max. Bullâ super hoc editâ: vbi post laudatum à sanctitate & vtilitate Ecclesiæ, antiquissimum hunc Carmelitarum Ordinem, confirmat, vti fecerunt successores Pontifices, Privilegia & Indulgentias Scapularis, ejusque originem. Nam, vt inquit, Carthagena compendiosè referens, quæ habentur in dicta Bulla: cum B. P. Simon Stock Anglus in Ordinis Generalem electus, cum omni diligentia satageret, & multis lacrymis & orationibus instaret apud B. Virginem, vt totus Ordo fidelissimè cum gratitudine Christo Domino, ac Sanctissimæ ejus Matri inserviens; certo stemmate filiationis nobilitaretur: Oratio ejus re-

Lib. 17. Hom. 1. de Monte Carm.

citari ab illo solita hæc erat: *Flos Carmeli, vitis florigera, splendor cœli, Virgo puerpera, singularis Mater, mitis, sed viri nescia, Carmelitis da privilegia, stella maris.* Et hæc quidem Oratio Sanctissimæ Virgini adeò pergrata fuit, vt nocte quadam Sanctus intra cellam suam genu-flexus orans, jubar quoddam cœleste, copiosumque Angelorum cœtum intueretur: in quorum medio Sanctissima Virgo ei apparuit, quæ Scapulare quoddam manibus deferens, sic illum est allocuta: *Dilectissime Fili, hoc recipe tui Ordinis Scapulare, meæ Confraternitatis signum, tibi & cunctis Carmelitis privilegium: in quo quis moriens non æternum patietur incendium: ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis, & pacti sempiterni.* Quæ Scapularis gestatio ita jam toto orbe Christiano sparsa est, non sine devotione & emolumento; vt etiam ad Reges, Dynastas & Principes, aliosque primariæ notæ viros ac fœminas pervenerit. Cupiens autem Beatissima Virgo, magis ac magis Ordinem hunc illustrare, præcipuisque gratiarum prærogativis sublimare: privilegium quoddam singulare à Filio obtinuit. Etenim vt narratur in Bulla Ioannis XXII. quæ incipit: *Sacratissimo vti culmine.* Ejus Vicario in terris Ioanni dicto, Summo Pontifici B. Virgo apparuit, ei præcipiens, vt evulgaret Carmelitis Fratribus & omnibus, cum illo Scapulari sepulturæ traditis, purgatorij ergastulo detentis, meritis & assiduis intercessionibus, pijsque suffragijs, ac singulari ejusdem Virginis protectione, primo Sabbati die ab ipsorum obitu adveniente, Purgatorij pœnarum integram relaxationem dandam. Quam Indulgentiam renovarunt & confirmarunt Clem. VII. Greg. XIII. Sixtus V. & Clem. VIII. Scapulare ergo signum est, & pignus vitæ æternæ, adeoque symbolum

bolum fœderis ac quietis: quippe quod illud gestantes primo Sabbato ab illorum obitu, ignibus Purgatorijs ereptos transmittat ad *Quietem deliciosam* & Sabbatum æternum.

Vtamur ergo hisce medijs, vt quo vota nostra omnia tendunt, ac tendere debent; æternum illic quieturi, cumque Christo ac B. Virgine regnaturi perveniamus.

LITERA

R.

REGINA MVNDI.

Adstitit Regina à dextris tuis. Psal. 44.

PSalmus hic Davidis Regis Epithalamium est, aut Verbi Divini cum natura humana, quam per Incarnationem sibi vnitam, gratiâ & gloriâ coronavit: aut Christi cum Ecclesia, quam sibi in Sponsam elegit, quamque, vt ait D. Augustinus, *Vt esset sine ruga extendit in cruce, vt esset sine macula lavit in sanguine.* Plerique SS. Patres MARIAM *Reginam* cum adjuncto nuncupant; scilicet aut *Cœli*, vt Augustinus: aut *Gentium*, vt S. Ildefonsus: aut *SS. omnium*, vt Nazianzenus: aut *Reginam mundi*, quod omnia complectitur, vt D. Athanasius. Inquiro hîc,

§. 1. *Quo jure positivo, sive morali, id est, ob quas virtutes B. Virgo* Regina *dicitur.*

§. 2. *Qualitas, amplitudo & duratio ejus regni.*

§. 3. *Quid illi vt* Reginæ *præstare debeamus.*

Amica est Sponsi ad Sponsam compellatio, cum ei
Cant. 4. dicitur: *Veni de Libano, Sponsa Sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Dubium tamen est plusné amoris, an honoris argumentum præferat. Certè illud *veni* ter repetitum amorem indicat: at *coronaberis*, quod vltimo loco positum, præcedentibus invitationibus subseruit, honorem prodit: triplicis enim coronæ regiæ hîc fit mentio. Vtrumque ad MARIAM pertinet & amor & honor: adeoque quidquid coronarum est in cœlo; scilicet Laurea Virginis, Doctoris & Martyris. Sive vt aliqui commentantur; corona potentiæ, à Patre: corona Sapientiæ, à Filio: corona denique amoris ac bonitatis à Spiritu Sancto. Sed in hoc *Reginæ* nomine, amplius nobis & latiùs velificandum est.

§. 1. *Quo jure positivo, sive morali, id est, ob quas virtutes B. Virgo* Regina *dicitur.*

Regia dignitas ac diadematis honor, teste D. Bernardino Senensi, quadruplici ex capite alicui competere potest: videlicet secundum jus naturale, civile, hæreditarium & morale: quod in B. Virgine MARIA ad regiam dignitatem evecta locum habet. Primò enim jus naturale postulat, vt Mater sicut jus in Filium habet; ita quoque habeat in ea, quæ sunt filij; cum filius
8. Ethic. cap. 17. fit quædam parentis pars, vt docet Aristoteles. Ad
Orat. 2. de Assumpt. quam rationem respiciens S. Damascenus: *Decet*, inquit, *Matrem ea quæ sunt Filij, possidere.* Secundò jure Ciuili

Civili, *Reginæ* quoque nomen ſibi acquiſivit B. Virgo: quippe dignitatem, ſeu dominium obtinemus civiliter quadruplici via: vel ratione emptionis, vel per pretij ſolutionem, vel ratione operationis, vel denique electionis: ſicuti Prælatis & quibuſdam Regibus jus acquiritur per electionem: quæ omnia B. Virgini competunt. Quoad jus hæreditarium attinet, quæ eſt tertia via ad acquirendam dignitatem aliquam, pro MARIA etiam facit primogenituræ beneficium, ipſamet atteſtante: *Ego ex ore altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* In cujus confirmationem ſubdit ſtatim. *In omni populo & in omni gente primatum tenui, & omnium ſuperborum colla propria virtute calcavi.* Quartò demum MARIA *Regina* eſt moraliter beneficio electionis: quam ſibi adſtruit pulchritudo ejus & Sapientia. Scribit Strabo Indos tantopere corporis elegantiam & pulchritudinem in pretio habuiſſe, vt illum dumtaxat in regem eligerent, qui ſingulari corporis formâ cæteros ſuperaret. Ad quod ſpectat vulgatum illud Euripidis proverbium: *Facies digna imperio.*

Vide Carthag. in opere Mariano.

Eccli. 24.

Ad moralem hanc Regiæ dignitatis electionem, concurrunt nonnullæ virtutes, quæ doctiorum judicio dignitatem regiam videntur ſibi adſciſcere. Ac prima illarũ virtutum: eſt Humilitas, quæ quantò depreſſior, tantò magis in altum conſurgit; fontis inſtar per canales ad ima depreſſi, in aerem ſeſe ejaculantis. Hanc veritatem attingit MARIA in ſuo Cantico *Magnificat:* vbi humilitatis ſuæ mentionem facit, & inde beatam ſe ab omnibus prædicandam denuntiat. *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Humilitatis enim virtus non aliud, quàm ſplendorem, & coronas gignit, Depreſſus & humiliatus erat

Luc. 1.

erat Chriſtus à Iudæis vſque ad infamiam & opprobrium crucis: & ſtatim jubet Pilatus apponi titulum hunc honorificum: *Ieſus Nazarenus Rex Iudaeorum*: Advertunt ſacri Interpretes Pſalmum Davidis decimum quintum, habere pro titulo: *Pſalmus humilis & ſimplicis David.* Secundùm verò Paulum Burgenſem: *aurum optimum ipſi David*: Ex quo ſcilicet fabricantur Regum diademata & coronæ. Certè non aliud in MARIA quàm *Reginam* mihi repræſento, quando ſe Ancillam dicere audio. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Ad quem locum Sanctus Ildefonſus ſic ait: *Quapropter chariſſimi, diſcite humiliari, vt vos ex eadem humilitate gloriari poſſitis. Nam ipſa Virgo propter humilitatem Regina orbis appellatur.*

Altera Virtus in Virgine, cui adſcribendus videtur *Reginæ* titulus, eſt ſingularis ejus manſuetudo, etiam in condonandis injurijs. Ferunt Socratem Philoſophum ſcommate impetitum ab aliquo, ſuppreſſiſſe iracundiam: & ſtatim vbi domum redijt, ſibi coronam impoſuiſſe, quod talem virtutis actum, corona & regio honore dignum cenſeret.

Audiamus quid de Davidis manſuetudine dicat S. Ioannes Chryſoſtomus. Pepercerat ille Saüli Regi, cujus in Davidem implacabile erat odium: quod vbi reſcivit Saül, quid ille? *Nunc ſcio*, inquit, *quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael.* Ad quæ verba ſic Chryſoſtomus: *Sed dic, obſecro, vnde ſcis iſtud? Penes te ſunt exercitus, penes te ſunt pecuniæ, arma, civitates, equi, milites; denique vniverſa vis apparatus regij: hic autem deſertus & nudus, nec civitatem, nec domum, nec familiam habet: vnde quæſo iſta loqueris?* Reſpondentem hoc modo Saülem inducit: *Ex Davi-*

Lib. 1. Reg. cap. 24.

Hom. 3. de Davide & Saüle.

dis

dis moribus: id est, ex tam admirabili ejus mansuetudine, qui mihi tam perfido inimico pepercit, cui poterat vitam tam facilè eripere. Et hanc mansuetudinem habuit, exhibuitque Iudæis B. Virgo, Filij sui interfectoribus: nam tenent nonnulli, cum oravit Christus in cruce pendens pro suis crucifixoribus: orasse & B. Virginem, eademque verba repetijsse ad pedem crucis. Vnde meritò Deiparæ Virgini accinit Ecclesia, illud Davidis: *Specie tua & pulchritudine tua: intende, prosperè, procede, & regna.* cui statim additur in Psalmo: *propter veritatem & mansuetudinem.* Psal. 44.

Et verè regnat in cœlo MARIA: de qua dicere lubet cum Propheta Regio: *Adstitit Regina à dextris tuis.* Si quæras quo apparatu, quâ pompâ? *In vestitu deaurato, circumdata varietate.* Quæ verba diversimodè exponunt Intrepretes. *Circumamicta & variegata,* Vertunt Septuaginta: *In vestibus diversarum figurarum,* inquit Chaldæus Paraphrastes. *In diademate aureo de ophir*, reddit Theodotion: *in auro primo*, inquit Symmachus: *in Scutulatis* ait S. Hieronymus. Et secundum originale Hebræum: *Inocellatis indumentum ejus.* Quibus omnibus varia deteguntur Deiparæ. *Reginæ* præconia. Quippe, *adstitit Regina*, ecce regale solium, ad quod evecta est MARIA. *A dextris tuis*: ecce potioribus Filij sui bonis, præ cæteris omnibus Beatis fruentem. *In vestitu deaurato*: ecce auream fulgentis charitatis vestem, qualis tantam *Reginam* decet: *In Scutulatis*: ecce Virginis officium & munus, quo fungitur in cœlo, instar multiplicis scuti, ab ira Dei peccatores protegens ac defendens: *Circumamicta & variegata, in vestibus diversarum figurarum*: Ecce multiplicem figuram & personam, quam gerit & induit MARIA.

Virgo est, Mater est, Genitoris sui Genitrix est, Regina est, Ancilla est, Sponsa intacta est, Patrona est benignissima, bonum nostrum semper respiciens, vtique *Oculatissima*, vt eam vocat S. Epiphanius.

§. 2. *Quæ sit qualitas, amplitudo & duratio regni* MARIÆ.

CONsideratâ & stabilitâ dignitate regali B. Virginis, offert se aliud examinanduum, videlicet quæ sit amplitudo, qualitas & duratio regni MARIANI. De amplitudine nihil aliud dici potest, quàm Regnum ejus ac imperium, quippe indivisum à Filio, eosdem limites habere ac Christi dominatus; atque adeò toto orbe terrarum protendi: quinimo elementa pervadere ac cœlos ipsos penetrare. De suo Imperio post resurrectio-
Matth. 28. nem ita Christus: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Ne igitur angustiores limites ac terminos regno MARIÆ affingas; quod indivisum habet cum Filio. Iam MARIÆ totum orbem occupat Dominium: Iam quatuor mundi partes MARIÆ cultum & venerationem admiserunt: jam Europa, Asia, Africa, America, fumantes vndique thure aras ejus, votisque ardentes videt. Ita vt conveniat B. Virgini *Reginæ* nostræ, quod
Eccli. 24. scribit Siracides: *Gyrum cæli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra steti: & in omni populo, & in omni gente primatum habui.* Nec tantùm in terra ac mari, verùm etiam in aëre ac cœlo potestas ejus ac imperium, longè lateque porrigitur. Potest illa de nubibus, de ventis, de imbribus, de grandine, de nivibus, de tonitru ac fulgure cæterisque elementis, ac meteoris, prout lubet dispone-

re. Notum est quod Card. Baronius & alij scribunt Romæ accidisse tempore S. Gregorij Papæ. Sæviebat ea in vrbe sævissima lues: cum ad eam avertendam jussit Sanctissimus Pontifex, preces ac supplicationes indici: Deferrique publicè Deiparæ Virginis Imaginem, à S. Luca depictam. Res mira. Animadversum est prælata sacra Imagine, pestilentem auram retrorsum agi ac dissipari: planè vt in confluxu populi, qui ab apparitoribus separatur, vt viam faciat prodeunti Reginæ. Et verò res clarior evasit, cum audita est vox illa in aëre Angelorum concentu: *Regina cæli lætare, Alleluya, quia quem meruisti portare Alleluya, resurrexit sicut dixit, Alleluya.* Quibus vocibus Angelicis, S. Pontifex adjecit: *Ora pro nobis Deum, Alleluya.*

An. 596. Greg. Turon. lib. 10. Sigon. l. 1. de reg. Ital.

Addo & illud ex Ioanne Mauburno, scriptore apprimè pio, qui asserit Sacratissimam Virginem MARIAM, tanquam vniversi orbis Reginam ac Dominam, ita regere totum hunc mundum, veluti domum ac familiam suam: & tanta cum potestate atque authoritate præesse rebus omnibus; vt sine ejus imperio, nec pes loco moveri, nec teruncius vnus possideri, nec verbulum vllum toto terrarum orbe proferri queat. Quod etsi modò videri nequeat, erit tamen cum id mundus vniversus clarissimè intelliget: quando ipsam, velint, nolint, prædicabunt omnes generationes.

Vide Nolrembe. de amore Virg. c. 20.

S. Bernardinus Senensis de amplitudine regni MARIANI hoc addit: *Elevata est ad culmen dignitatis latissimæ, vt sit ejus regnum latum.* Vnde 2. Reg. 3. dicitur: *Quomodo intravit David, sic faciam cum eo, vt elevetur thronus ejus super Iudam & Ierusalem à Dan vsque ad Bersabée. Thronus autem in quo sedit & requievit David, qui manu fortis, & vultu desiderabilis*

Ser. de Assumpt.

 interpre-

interpretatur, id est, IESVS *Dei Filius, fuit gloriosa Virgo* MARIA, *quæ elevata fuit ad latitudinem regni: vt de ea dici possit, quod non solùm dominatur à Dan vsque Bersabee; sed à mari gratiæ vsque ad mare gloriæ, & à flumine influxuum divinorum, vsque ad terminos orbis terrarum regnans super omnem creaturam.*

Cap. 2. Quod ad qualitatem regni MARIÆ attinet adduci potest, id quod apud Danielem legimus de differentia & discrimine regnorum, in statua, quam vidit Nacuchodonosor per somnium, juxta ejusdem Prophetæ interpretationem. Quod enim caput ejus statuæ aureum appareret: Nabuchodonosoris regni idea erat: pectus argenteum, secuturi regni Persarum ac Medorum statum adumbrabat. Per ventrem & femora ejusdem statuæ ex ære, regnum Alexandri & Græcorum: denique per tibias ferreas, regni Romanorum specimen erat; quod sicut ferrum omnia, ita regnum illud sua fortitudine & constantia reliquis prævalere, & & omnem pœne orbem terrarum suæ dominationi subjicere aliquando debebat. Sed alia planè fuit qualitas regni Christi & MARIÆ: quippe quorum dominatio totum orbem pervasit; prout scribit S. Hieronymus: *Deposuit pharetram Armenus, Hunni discunt psalterium, Scythiæ frigora fervent calore fidei, Getarum rutilus & flavus exercitus, Ecclesiarum circumfert tentoria, &c.* Sed absit vt terro domitum orbem, ac Evangelio subjectum dicam: quando ligno pugnatum est, & oleo gratiæ, quod à MARIA in omnium animos copiosè penetrat, & lenitate efficaci Christi adjungit imperio.

Epist. ad Lætam.

Poza lib. 2. Tract. 17. c. 2. Pro duratione, certum est MARIÆ regnum, vt Christi æternum esse: idque adumbratum videtur in MARIÆ nomine, quod nullam ex temporis ac rerum varietate

rietate

rietate mutationem passum fuit. Quibusdam enim personis, vt nomina mutent, causa est baptismus: alijs Sacramentum Confirmationis: alijs novæ dignitatis adeptio, vt scripserunt Polydorus Virgilius, Reinulfus, Crantzius. At MARIA ab ipso primo instanti Conceptionis & munda, & sublimis, & sancta, & gloriosa, & divina, & *Regina* semper fuit. Nomen accepit à Deo & Angelo invariabile, adeoque regni ejus status invariabilis & æternus est. Nam, vt inquit S. Hieronymus: *Vocabula commutata significant rerum mutationem.* De hoc ergo regno dicere possumus, quo igniculi devotionis in cordibus nostris augeantur, quod de regno Christi canit Ecclesia: *Cujus regni non erit finis.* Advertit *In Symb. Missæ.* Cornelius à Lapide in Isaia, vbi habetur vaticinium de *Cap. 9.* Christo: *Multiplicabitur imperium ejus*: Heb. *Lemarbé:* præter morem literam *mem*, clausam esse in medio dictionis; atque adeò literam quadratam, quæ est symbolum perpetuitatis. *Civitas*, scilicet cælestis Ierusalem, quam vidit S. Ioannes, *in quadro posita.* id est, *Apoc. 21.* semper mansura & æterna.

§. 3. *Quid B. Virgini, vt* Reginæ *præstare debeamus.*

PRimum quod Regi ac Reginæ, subditi omnes præstare solent ac debent, Sacramentum est fidei; illudque publicum ac solemne, vnius ore prolatum. B. *Vide Nolz remb de amore Virg. c. 20.* Ioanni Menesio, è nobili Comitum Villæ-Regiæ familia oriundo, Ordinis Minorum S. Francisci; qui etiam Amadeus, sive Amator dictus est: divinitus ostensa fuit formula professionis Angelicæ, quæ *Reginæ* MARIÆ cœlum subeunti pronuntiata fuit à S. Michaële Archangelo, reliquorum omnium nomine, sequentibus ferè

verbis: *Quod Deo promisimus, antequam perficeret hunc mundum sensibilem: hoc etiam tibi modò promittimus, ô* MARIA; *hodie repetimus & renovamus, quod primo momento Incarnationis Filij Dei protestabamur. In hac hora illud confirmamus, & te, ô* MARIA, *pro Regina nostra accipimus. Cælorum Reginam, te nominamus: ad te Angelorum Reginam, incessabili voce clamamus. Tibi omnes Angeli, & Archangeli ac universæ potestates: Tibi Principatus, ac Dominationes omnes obediunt. Te Throni, Cherubim & Seraphim humili voce confitentur. Nos omnes te Reginam ac Dominam nostram agnoscimus. Omnes te Matrem Domini nostri adoramus.* Sic Angeli in cœlo, quid nos ergo homines pusillos in terra facere convenit? quantæ vecordiæ arguendi, si nondum illorum exemplo excitemur ad obsequium illi prestandum? An non pudore confundimur, dum nobilissimos hosce, & excellentissimos Spiritus, in quos minùs MARIA, quàm in nos liberalis extitit: videmus religiosiùs colere, atque amare, ac diligentiùs ei, vt *Reginæ* servire & obsequi: quàm quibus sanguine illi conjunctis; vti in nobis accidit, suprema ejus jurisdictio mirum in modum est necessaria.

Secundò ad praxim imitandi mihi videntur senes illi 24. quos conspexit Sanctus Ioannes inter ostensa & arcana cælestia: qui quidem senes procidentes ante sedentem in throno, *Mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Thronus hic MARIAM designat: ostenditque coronas per MARIAM obtentas jure ad illius pedes substerni ac reddi.

Apoc. 4.

Adverte tamen quod Beati mittentes coronas suas ante thronum, non sine lucro id faciant. Nam sicut dicitur

citur quod circa thronum erat mare vitreum ſimile cryſtallo: non poterant offerri & jactari iſtæ coronæ, niſi ſtatim, veluti ad ſpeculum reduplicarentur. *Ibidem*

Vſurpata fuit hæc Mariam honorandi ratio, à Principibus Christianis, cui honorem Bellica virtute promeritum, MARIÆ potiùs exhiberi; quàm ſuum eſſe voluerunt. Memoratur inter hos Ioannes Zemniſces Orientis Imperator; qui poſt reportatam de Bulgaris, & Scythis victoriam: impoſitam currui triumphali Virginis effigiem, circumduci per vias publicas voluit. De quo argumento, lubet Poëtam MARIANVM audire.

Fregerat oppoſitis Virgo agmina barbara ſignis, *De cultu Deip. l. 3. n. 15.*
Impia ſacrilegus tinxerat arva cruor.
Vicimus vt causâ, juſtis quoque vicimus armis,
Inquit, & auguſtum Cæſar adornat opus.
Ergo triumphales inſtrato murice currus,
Apparat, & variâ longa theatra viâ.
Aurea purpureas prætendunt eſſeda lanas;
Aurea quadrijugis frena teruntur equis.
Aſpicias mixtos fractis thoracibus enſes,
Raptaque victrici barbara ſigna manu.
Diva ſuper ſtabat, Cæſar jubet: anteit ipſe
Victor, & auricomos aureus vrget equos.
Ponè catenati curvis cervicibus hoſtes,
Invito ſubdunt colla premenda jugo:
Viderat hoc aliquis: quid frendes, Barbare, dixit:
In me, quod tentas demere, transfer onus.

Tertiò ad honorem B. Virginis vt Reginæ, facit inprimis omnis Congregatio ſub illius nomine legitimè erecta: in qua ad virtutis ſtudium, & ſanctitatem conſequendam communibus votis tenditur; ſic enim gaudium ſuum & coronam, vocat S. Paulus, omnes fideles charitate

Ad Philip. c. 4. charitate inter se vinctos: *Sic state in Domino charissimi: gaudium meum & corona mea.* Insignis est locus Isaiæ à
Cap. 49. Ser. 20. in Cant. Gilleberto expositus, qui B. Virgini adaptari potest. *Vivo ego dicit Dominus, quia his omnibus* (ait, quinam illi? *qui congregati venerunt tibi*) *velut ornamento vestieris. Advertisti quomodo Isaias credentium agmina ornamentum esse Christi in Ecclesia definiat? quare non & corona sunt? sed corona habet quamdam insignem & illustrem præ cæteris ornamentis dignitatem: quia cætera cum sint corporis, ista est capitis.* Et post pauca. *Iure diadematis censetur nomine, quos non tam pugna sollicitat, quam triumphus lætificat: quibus non est colluctatio adversus carnem & sanguinem, qui serpentis jam caput non observant, sed Christi exornant. Vos estis corona Christi & gaudium: & ideò sicut cœpistis, sic state charissimi in Domino. Videte ad quē honorē estis assumpti: idcirco nihil ligni, nihil stipularum in Domini diademate attexite.* Ita cavendum etiam ne quid ejuscemodi diademati *Reginæ* admisceatur: sed vt MARIÆ dicati Sodales, constanter per exercitium virtutum, & charitatis præcipuè eidem sint & gaudium & corona.

Quartò quod fieri assolet in victorijs publicis, vt *Te Deum* solemniter in Ecclesia decantetur: non erit abs re quoque Hymnum similem, B. Virgini accinere, per quam quotidie tot insignes victoriæ de hostibus Ecclesiæ reportantur. Quare visum est operæ pretium hîc addere, quod D. Bonaventura ad honorem Deiparæ devotè composuit.

In Psalt. B. Virg.

Te Matrem Dei laudamus, Te Mariam Virginem profitemur.

Te æterni Patris Sponsam omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli & Archangeli: Tibi Throni &

Principatus

Principatus fideliter deserviunt.

Tibi omnes Potestates & Virtutes cælorum & universæ Dominationes obediunt.

Tibi omnes Chori, tibi Cherubim & Seraphim exultantes assistunt.

Tibi omnis Angelica creatura incessabili voce proclamat.

Sancta, Sancta, Sancta MARIA *Dei genitrix Mater & Virgo.*

Pleni sunt cæli & terra majestatis gloriæ fructus ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum chorus, sui Creatoris Matrem collaudat.

Te Beatorum Martyrum cætus candidatus, Christi Genitricem glorificat.

Te gloriosus Confessorum exercitus, Trinitatis Templum appellat.

Te Sanctarum Virginum chorea amabilis, Virginitatis & humilitatis exemplum prædicat.

Te tota cælestis curia Reginam *honorat.*

Te per universum orbem Ecclesia invocando concelebrat.

Matrem Divinæ Majestatis.

Venerandam te, veram Regis cælestis puerperam, Sanctam quoque dulcedinem & piam.

Tu Angelorum Domina, tu Paradisi janua.

Tu Scala regni cælestis & gloriæ.

Tu thalamus, tu arca pietatis & gratiæ.

Tu vena misericordiæ, tu Sponsa & Mater Regis æterni.

Tu Templum & Sacrarium Spiritus Sancti, totius Trinitatis nobile triclinium.

Tu Mediatrix Dei & hominum, amatrix mortalium, cœlestis illuminatrix.

Tu agonizatrix pugnantium, Advocata pauperum, miseratrix & refugium peccatorum.

Tu erogatrix munerum, Separatrix & terror Dæmonum ac superborum.

Tu mundi Domina, cœli Regina, *post Deum sola Spes nostra.*

Tu Salus te invocantium, portus naufragantium, miserorum solatium, pereuntium Refugium.

Tu Mater omnium Beatorum, gaudium plenum post Deum, omnium supernorum civium solatium.

Tu promotrix justorum, congregatrix errantium, promissio Patriarcharum.

Tu veritas Prophetarum, præconium & doctrix Apostolorum, Magistra Evangelistarum.

Tu fortitudo Martyrum, exemplum Confessorum, honor & festivitas Virginum.

Tu ad liberandum exulem hominem, suscepisti Filium Dei in vtero.

Per te expugnato hoste antiquo, sunt aperta Fidelibus regna cœlorum.

Tu cum Filio tuo sedes ad dexteram Patris.

Tu ipsum pro nobis roga, Virgo MARIA, *quem nos ad judicandum credimus esse venturum.*

Te ergo poscimus famulis tuis subveni, Qui pretioso sanguine Filij tui redempti sumus.

Æterna fac, pia Virgo, cum Sanctis tuis nos gloria munerari.

Salvum fac populum tuum, Domina, vt simus participes hæreditatis Filij tui.

Et rege nos, & custodi nos in æternum.

Per singulos dies, ô Pia, te salutamus.

Et laudare te cupimus vsque in æternum, mente & voce.

Dignare dulcis MARIA, *nunc & semper nos sine delicto conservare.*

Miserere nobis, ô Pia, miserere nobis.

Fiat misericordia tua magna nobiscum, quia in te, Virgo MARIA, *confidimus.*

In te dulcis MARIA *speramus, nos defendas in æternum.*

Te decet laus, te decet imperium, tibi virtus & gloria in sæcula sæculorum Amen.


Hunc Hymnum ex S. Bonaventura exponere hîc placuit; vt si quis desiderio illum recitandi teneatur, ad honorem Sanctissimæ Virginis: ad manum habeat, sine recursu ad opera, & Psalterium ejusdem S. Bonaventuræ.

LITERA

S.

SPES NOSTRA.

Ego Mater Sanctæ Spei. Eccli. 24.



Vavia sunt epitheta, quibus Siracides, sub nomine Sapientiæ creatæ B. Virginem adumbrat: dum illam *Matrem* appellat *pulchræ dilectionis, timoris & agnitionis*; at cum addit: *Sanctæ Spei*: firmamentum addit felicitatis nostræ, tanquam anchoram firmam fluctuanti navigio. Ita B. Hermannus, dum illi piè accinit: *Spes nostra, Salve.* Ita quoque Sanctus Augustinus, S. Ephrem, & alij.

In Ant. Salve Regina. Ser. 2. de Annunt. Orat. ad B. Virg.

§. 1. *Quàm multi sunt inter mortales, qui spem suam malè collocant.*

§. 2. *Quod B. Virgo post Deum, bene dicatur,* Spes nostra.

§. 3. *Quomodo ad eam recurrendum sit cum fiducia.*

1. 2. q. 40. Doctor Angelicus definiens cum Aristotele, quid sit Spes; ait, *Esse motum appetitus boni futuri, difficilis quidem, sed possibilis*: Hinc vti docet Ocham, duo sunt veluti brachia Spei, desiderium scilicet, & facultas obtinendi, quod in votis habemus. Patriam Spei mundum hunc infimum esse: nam nulla omnino Spes cœli inquilina esse potest; vbi rerum sperandarum plena possessio

Quodlib. 3. quæst. 9.

poſſeſſio invenitur: vnde S. Thomas ſcitè tradit, *Spem in præſenti tempore, eſſe quaſi vigiliam fœlicitatis æternæ.*

§. I. *Quàm multi inter mortales* Spem *ſuam malè collocant.*

PArergon facturus non videor, ſi de Spe acturus, à D. Damaſceni apologo exordiar. Fingit is Luſciniam captam ab aucupe, pro lytro libertatis, propoſuiſſe ſcientiam artis, quâ beatiſſimus inter homines eſſe poſſit. Quæ quidem ſcientia, inquit, tribus documentis ac monitis continetur. Primum, nihil facilè credendum: Secundum, nihil quod extra vires noſtras ſit, adeoque impoſſibile ſperandum eſſe. Tertium, de eo quod reparari nequeat, fruſtra dolendum. Acceptatur ab aucupe promiſſio, & Luſcinia libertati donatur. Quâ obtenta, jamque volitans: Heus, inquit, an neſciebas theſaurum in ventriculo me habere? cucurrit ille ad Luſciniam: & en primus error, inquit illa, quòd nimis facilè ac temerè credideris theſaurum intra me eſſe. Inſequitur volantem auceps: & ecce inquit Luſcinia ſecundus error, quod quæ tibi impoſſibilia ſunt, imprudens attentes. Cum autem doleret inſuper, ecce tertiò erras, inquit Luſcinia, quod ſcilicet in rebus planè deſperatis, remedia fruſtra conquiras. Apologus iſte mundanis hominibus & certè plurimis documento eſt, vanas eſſe Spei mundialis concertationes, ſive quis honores, ſive divitias, ſive Regum & Principum favorem ſectetur: ſive demum quis fiduciam collocet in bona corporis temperie, firmitate ac pulchritudine.

Gratiam certè Principum inſtabilem eſſe quotidiana do-

Psal. 145. na docet experientia: cui innititur Davidis Regis monitio. *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum in quibus non est salus.* Exciderunt gratiâ Pharaonis pincerna & pistor: quâ de causâ, inquit Abulensis? ille, quod vino paterâ oblato musca mortua: hic, quod lapillus pani admixtus repertus esset: vitream ergo hanc gratiam, ex tam levi causa, nemo est qui non judicet. Idem Regum favor atque amicitia, baculo arundineo comparatur: qui præterquam infirmior sit ad sustentaculum: etiam incumbentis manum sua fractione lædit ac perforat.

Ex Rabbi Salom.

Isai. 36.

Amicitiam talem sequuntur divitiæ & opes, quarum infidá, vt plurimum est possessio: De quo nos monet Apostolus scribens ad Timotheum: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sperare in incerto divitiarum.* Nihil enim incertius & fugacius, quàm divitiæ & opes. De hoc præclarè sentit D. Chrysostomus, cùm eas vento & pulveri comparat: *Ne dicas mihi*, inquit, *tot & tot annorum proventus repositos habeo, auri talenta innumera, lucra per singulos dies adjuncta: quantacumque dixeris, omnia temere dices & in cassum. Sæpiùs vnâ horâ, & brevi temporis momento, velut vento supernè irruente pulvis; sic ista omnia ex domo tua exsufflantur. Horum nobis exemplorum vita plena est; hodie dives, cras pauper.* Deîn exaggerans illud Pauli suprà: *In incerto divitiarum, Quid magis infidum*, ait, *quàm divitiæ? quibus etsi innumera vincula injicias, easque pessulis & foribus includas, servorum adhibitâ custodiâ: illæ tamen servis ipsis persuadentes, cum ipsis fugiunt custodibus, tanquam catenatos eos trahentes. Quid hoc infidelius? Quid verò his, qui circa hoc studium & spem suam collocant, miserabilius? quando rem tam labilem omni studio colligere*

1. Tim. 6.

Hom. 2. ad pop.

aggrediuntur: nec Prophetam audiunt dicentem: væ his qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Dic quare væ? thesaurizat, inquit, & ignorat cui congregabit ea: quoniam labor quidem certus, fructus verò incertus. Sæpius inimicis tuis laboras, & ærumnis conficeris. Sæpius post mortem tuam, ad eos qui te affecerunt injuriâ hæreditas veniens, tibi quidem peccata, possessionem verò alijs præbuit. *Psal. 48.*

Nec verò in honoribus ac dignitatum præeminentia, potior est spem nostram figendi ratio. *Fallax equus ad salutem*, inquit Propheta David: Per equum hîc dignitates & honores mysticè intelliguntur; quippe qui hominem supra vulgus attollunt. Sed cave sis huic equo fidere: vmbraticus est; & sæpe quem modò elevat, subitò dejectum ad terram allidit. Seianos, Eutropios, Belizarios attende, & quod dico, scenam faciet. *Psal. 32.*

Præterea quid vires corporis, aut pulchritudinem jactes? vtrumque brevissimo ævo carpitur: & hæc quidem floris instar citò marcescit, & tædium generat, quod ante conciliandi amoris illicium fuit.

Quærunt aliqui in sacram Regum historiam; cur rebellis Patri Absalon vultu aperto, & fluente cæsarie, sine casside ad bellum contra Patrem processerit: respondent eo fine fecisse, quod pulchritudini suæ confideret, sperans fore, vt aspectu solo sibi bellatorum animos emolliret: sed vt Ioab, ita febris ac mors formosis ac decoris vultibus parcere nescit, nec solet. *Lib. 2. Reg. cap. 18.*

§. 2. Quod

§. 2. *Quod B. Virgo post Deum bene dicatur*; Spes nostra.

QVod anchora est fluctuantibus in mari navibus, ac procellis naufragium minantibus: hoc ipsum MARIA est mortalibus inter pericula hujus vitæ, quasi turbulenti oceani. Occurrit versus, qui Tornaci in Sodalitate primaria, Virginem in cœlum assumptam, Patronam ac Tutelarem exhibet:

Anchora MARIA *est; ne nos maris aufferat æstus,*
Sustinet: & summo hæc anchora fixa polo.

Sed & ad illud reflecto Venantij Fortunati, de partu Virginis; vbi MARIAM alloquens, sic canit.

Felix quæ generi humano sub tartara lapso,
Ad cœlos facta es sors, via, porta, rota.

Celada in Iudith. Enimverò B. Virgo Sors est, quâ ad vitam destinamur: via, quâ pergimus ad cœlestem Ierusalem: porta, quâ intramus in eam gloriæ metropolim. Quod verò nomine *Rotæ* significatur planè non constat: censebit fortè aliquis rotæ nomine currum, seu vehiculum

4. Reg. 2. significari. Sicut de Elia dicitur: *Currus Israel & auriga ejus*. At *Rotæ* nomine sublimius aliquid mihi suggeri videtur, inquit Celada. Rota enim architectonica est machina, quam *Gruem* vulgò nominant, miro artis ingenio inventa ad sublevandos lapides prægrandes, & collocandos in sublimi fabrica. Videmus saxum mole immensum, quod centeni homines viribus robusti vix possent à terra tantisper movere: ligneæ rotæ, seu *Gruis* artificio, promptè in sublime levari, vsque ad fastigium fabricæ: Sic levantur peccatores à terra, & cœno peccatorum per MARIAM, vsque ad cœlum: & in illo cælestis

lestis Ierusalem fastigio, priùs expoliti pœnitentiâ lapides, æternum illic permansuri collocantur. Igitur, ô peccator mortalis, ne cadas animo, etsi multorum flagitiorum reus, & peccatorum multitudine prægravis; tantumque ad vsque barathrum non depressus: non recedat MARIA à corde, non recedat ab ore: Te tuaque illi trade quàm devotissimè possis; & ipsa arcanæ pietatis suæ ingenio te ducet, & deducet ad cœli fastigium deposita peccatorum mole. Ipsa est cœli artificiosa *Rota*, quæ inidoneos alioqui lapides elevat ad cœleste fastigium, & ex illis construit Ierusalem novam, cælestem, beatam.

Quod autē Spem nostram in B. Virgine stabilit ac firmat, est tam ejus potentia, quàm propitia voluntas. Nam si alterum ex his duobus deficeret in MARIA, id est, aut potestas aut voluntas: sine dubio rueret fundamentum Spei nostræ. Nec possemus cum B. Hermanno illi dicere: *Spes nostra salve*: nec cum D. Bernardo compellare, *Spem vnicam peccatorum.* Sed contra est quod omnia possit & velit: imò & accurrat, festinetque ad salutem nostram. De quo passim exempla reperias apud Historicos. Memorabile est illud, quod refert Bencius noster, de juvene pastoritio, simplici quidem, sed devoto B. Virgini: quem Dæmon vafritia infernali deluserat, ruinæ ac morti æternæ proximum; nisi MARIA *Spes* vnica peccatorum, promptissimè perituro accurrisset. Iuvenis ille castitatem Deiparæ voverat: at invidus Dæmon contra moliri, stimulosque & ignem libidinis eò vsque subjicere, vt nullibi subsisteret; tantumque abjectis armis conclamatum sibi videretur. Ergo cum juvenem turbatum mœstumque videret Dæmon, apparuit illi Eremitæ specie; & cognita mœ-

roris causâ: apage inquit nebulas illas: nemo cogitatione sola reus est: potes ijs objectis interiùs delectari, modò caveas, ne in actum exteriorem prodeant. Sic delusum juvenem iterum post paulò subdolè revisit: majores machinas admovet: esse videlicet in pessimo statu, & extra omnem spem veniæ, nisi voluntario martyrio reatum aboleat: proinde eligat an aquâ, an igne, an laqueo vitam abrumpere velit. Igitur Dæmonis astutia delusus, ignem eligit; in paratum rogum se jactat: sed accurrit Deipara veste in candida, quâ prætensâ ardentem rogum extinguit. Redit mox præstigiator Infernalis: ignis vt video, conatum tuum fefellit; crimen tuum, vt puto, aquâ delebitur. Statimque juvenem ad lacum deducit. At ille recordatus necdum se diurnum Rosarij pensum exsoluisse, id aggreditur: mox in lacum se præcipitat, ore patulo vt confluentibus aquis extemplò suffocetur. Sed iteratò accurrit Virgo super aquas gradiens, & porrecta manu sustentat, attrahitque ad ripam: serioque monet, vt à Dæmone dementatum & illusum se agnoscat: suumque crimen confessione expiet: evulget quoque secuturis sæculis & multorum emolumento, ne quis vnquam ob multitudinem peccatorum desperet, se Matrem esse misericordiæ, & *Spem* vnicam peccatorum.

§. 3. *Quomodo ad B. Virginem* MARIAM *cum fiducia recurrendum.*

STabilito hoc Elogio, quo MARIAM *Sancta Spei Matrem* esse ostendimus: nemo non videat quantâ cum fiduciâ, in omnibus necessitatibus, sive animi, sive corporis, ad eam recurrendum sit. Quid enim *Sancta*

Spes,

Spes, nisi promissa & sancita fides? Inde fit, vt devotus MARIÆ cultor, adscriptus ejus albo, etiam in hac vita, non modò inter viatores, sed & comprehensores censendus videatur. Huc spectare potest Oséę pronuntiatum: *Dormire te faciam fiducialiter.* Vbi septuaginta secundum Theophylactum legunt: *Habitare te faciam in Spe.* Novus loquendi modus, inquit Theophylactus & peregrinum idioma: quia habitatio de qua ibidem Deus loquitur, æternæ beatitudinis patria est. Quo posito videtur debuisse dicere, faciam possessionem tuam in possessione Spei, & non *Habitare te faciem in Spe.* Huic quæstiunculæ occurrit Theophylactus elucidans hæc verba: *In petra te collocabo ac bonam tibi Spem suggeram.* Quasi dicat Deus, adeò tibi bonam Spem salutis tuæ, adeoque securus vives in illa, quasi non fores viator, qui hîc sperat, se futurum possessorem futuræ gloriæ: sed quasi comprehensor, qui de facto jam in illa figit habitationem suam, propter certitudinem Spei, quæ ipsum alit & sustentat. Iam autem dico proportionaliter de Virgine, eos, qui in illa Spem suam fixerunt, quasi comprehensores, ob certitudinem moralem futurę glorię, reputandos esse. Cap. 3.

Favet huic sententiæ Guarricus Abbas, qui asserit *non majoris esse felicitatis degere in sinu Abrahæ, quàm in sinu* MARIÆ. Si ergo in sinu Abrahæ, qui Limbus SS. Patrum fuit ante Christi mortem, certitudo erat futuræ gloriæ: concludendum est juxta Guarricum idem de sinu MARIÆ, id est de ejus Sodalitate, cui pio affectu quisnam sese addixerit, dici posse. Ser. 1. de Assumpt.

Quid si de temporalibus agitur? nec in ijs nos deserit Deipara, quæ de minutioribus etiam curam gerit. Refert Vincentius Belluacensis mercatorem Christianum Spec. Hist. lib. 7. c. 82.

Conſtantinopoli fuiſſe, qui acceptam mutuò à Iudæo pecuniam, ſtatuto die illi reddendam, accepta in fidejuſſorem Deipara Virgine, coram ejus imagine promiſerat. Cum autem Mercator ille Chriſtianus Alexandriam perrexiſſet, vrgeretque dies ſolvendi debiti: nec ipſe tantillo tempore Conſtantinopolim redire, nec pecuniam per alium tranſmittere poſſet. Hærenti in tantis anguſtijs, ſuggerit ipſi conſilium *Sanctæ Spei Mater*, vt pecuniam arculæ includat, & mari committat. Exequitur, ciſtulam ſignat annulo cum hac inſcriptione. *Accipe Abrabam* (hoc erat Iudæo nomen) *pecuniam quam à te mutuo accepi.* Arculam hanc ita ſignatam & inſcriptam committit mari, pridie diei, quo pecunia repræſentanda erat; orans Dei Matrem, vt in manus creditoris dirigeret. Res dictu mira: Virgine dirigente vna nocte appellit arcula ad littus Conſtantinopolitanum, & in manus Iudæi, qui tunc in littore ambulabat. Sed audi magis mira. Perfidus Iudæus acceptam pecuniam abſcondit; negat eam ſibi redditam eſſe: exigit eam à Chriſtiano Conſtantinopolim reverſo, interpoſita Senatus authoritate: imò audet coram Imagine B. Virginis pejerare ſe pecuniam non accepiſſe. Sed vix juramenti verba protulerat cum Imago omnibus audientibus in has voces prorupit. *Mentiris: quoniam arculam cum pecunia accepiſti & abſcondiſti.* Perculſus hoc miraculo Iudæus, crimen ſuum faſſus eſt, & Deiparæ potentiâ juxta ac bonitate, quâ Spes noſtræ omnes fulciuntur, agnita, ad Chriſtiana ſacra tranſivit.

Tom. 2. de Mirandis Mariæ.

Neque prætereundum ſilentio mihi videtur, id quod narrat Carthagena ex Auguſtino Manno, eveniſſe in Cantabria. Nobilis hîc erat integræ probatæque vitæ: at cui res domeſtica ad vltimam lineam redacta erat.

Inter has anguſtias turpe illi conſilium ſuggeritur de inhoneſto quæſtu filiarum , quo familiam nobilem extra dedecus fulciret Dum hæc voluit animo , templum ſubit , coram B. Virginis imagine opem in re prope deſperata rogaturus. Aſpiçat Virgo & pedem porrigens calceum argenteum , quo ſtatua induta erat oranti porrigit : defert Nobilis calceum ad aurifabrum vt ſignatâ pecuniâ mutaretur. Aurifaber furtum ſubveritus, Magiſtratui rem omnem exponit : Nobilis cuſtodiæ traditur : vtque ſacrilegij ac furti reus laqueo addicitur. Miſerandus certè caſus , vbi beneficium Virginis fatale eſt innocenti. Quò res evadet ? Reus innocens ad mortem properans rogat Iudices, vt iteratò coram eadem Imagine vota depromere permittatur: animam Spei parenti commendaturus , ſi vitam retinere non poſſet. Ergo Deiparæ Imaginem his verbis religiosè, multâque cum fiduciâ aggreditur ſupplicans: *Ergo ne, ô Domina , Spes mea vltima, tuoq́ue beneficio moriendum eſt? ſervaſti pudicitiam filiarum : avertiſti me à crimine: & mihi glorioſum eſt propter te turpiter quidem ; ſed innocenter mori. Verùm & à dedecore iſto mortis , ſi vis, eripere me potes: quippe credo æqualem in te eſſe , & potentiam & clementiam.* Dictum , ſactum : nam Imago Deiparæ ſiniſtrum pedem extendens, calceum alterum argenteum porrexit innocenti reo : qui ſtatim tam inuſitato miraculo , ſtupentibus, ac faventibus omnibus , qui aderant abſolutus eſt.

Vivamus ergo fiducialiter ſub hujus Virginis vmbra ac patrocinio ; memores ejus , quod ante protuli ex S. Thoma Doctore Angelico : *Spem in præſenti tempore,* præſertim ſub vmbra Deiparæ, *quaſi eſſe vigiliam felicitatis æternæ.*

LITERA T.

THVRIBVLVM AVREVM.

Stetit Angelus ante altare habens Thuribulum aureum. Apoc. 8.



Nter plurima oſtenſa cœleſtia, quæ B. Ioanni Evangeliſtæ obtigêre, fuêre complures Angeli, diverſo habitu & ſchemate: de vno inter alios ſic ait: *Alius Angelus venit & ſtetit ante altare, habens Thuribulum aureum.* Diſputant Interpretes quid per iſtum Angelum intelligatur: quidam, vt advertit Cornelius à Lapide, ipſam Chriſtianorum charitatem repræſentari: alij ipſummet Chriſtum. Ego cum
Orat. de Laud. Mar. S. Ephrem, maximè in *Thuribulo aureo* Deiparam Virginem agnoſco; atque in hoc perfectiſſimæ orationis & contemplationis exercitium, quo ipſa, cùm inter mortales ageret, excelluit. Quod ſequentibus Paragraphis elucido.

§. 1. *Quomodo per* Thuribulum aureum MARIA *repræſentetur, ſive ardentiſſimum orationis ejus ſtudium.*

§. 2. *Quàm fuerit Deo grata, & efficax ejus Oratio.*

§. 3. *Motiva ad Orationis ſtudium. Exemplar Mariæ.*

Thuribuli ſive prunarij vſus, quo inter ſacrificia ſuf-

fitus adoletur, vetuſtiſſimus eſt. *Thuribula* ad vſum Sanctuarij confecit Moïſes, Deique juſſu. Ioſephus Hiſtoriæ Iudaicæ ſcriptor, ait in templo Salomonis fuiſſe viginti millia *Thuribulorum* ex auro puriſſimo confecta. Exod. 37.
Aiunt autem Patres myſticæ Theologiæ, per ſuffitum, fumumque *Thuribuli*, adumbrari Orationem; præſertim, mente pura ac defœcata, cordeque igneo conceptam. Siquidem annotat S. Ioannes loco ſupra citato: *Angelo qui habebat Thuribulum aureum, data ſunt ei incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum.* Et mox: *aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Quantò magis de oratione B. Virginis, id affirmare convenit: quippe Sanctiſſimæ inter Sanctos omnes ac Iuſtos.

§. 1. Quomodo per Thuribulum aureum MARIA *repræſentetur, ſive ardentiſſimum perfectæ Orationis ejus ſtudium.*

Pietas olim ac devotio extitit S. Gerardi Epiſcopi & Martyris, cujus natalis diei, meminit Martyrologium Romanum ad 24. diem Octobris. Nimirum hic in templo S. Georgij aram extruxit Deiparæ Virgini, ante quam *Thuribulum* argenteum collocavit: ejuſque miniſterio duos provectæ ætatis homines adhibuit; qui jugiter illic vigilarent, atque operam darent, ne vnquam *Thuribulo* illi thuris ac ſuffitus copia deeſſet. Quidni hinc colligas Virginem advmbratam, ſeu mavis Orationem ejus? Certè vt de hoc *Elogio* hîc dicere ordiar; perfectum Orationis ſtudium fuiſſe in B. Virgine; meditationis & contemplationis perfectiſſimos actus vnanimiter SS. Patres aſſerunt: adeoque habuiſſe qua-
litates

litates præcipuas, quæ Orationi adſcribuntur, vt perfecta ſit; videlicet attentionem, fervorem, perſeverantiam.

De attentione, ad quam facit ſæpius ſolitudo loci, nemo dubitare poteſt: cum B. Virgo antequam inter homines eſſet, id eſt, adhuc clauſa in vtero Matris ſuæ Annæ orare cœperit: & ſuffitum gratiſſimum reddere ex aureo illo *Thuribulo* ſanctiſſimæ ejus animæ, ita ſentit S. Bernardinus Senenſis: *Tanto*, inquit, *lumine illuſtrata fuit Beatiſſima Virgo, cum eſſet in ventre matris: vt non tantùm plena fuerit lumine rationis, ſed etiam altiſſimæ contemplationis; eò ſublimata, vt Deum perfectiùs contemplaretur in vtero materno, quàm alius in ætate perfecta: magiſque exceſſit in contemplatione dormiendo, quàm alius vigilando.* Ad hanc attentionem procurandam, oblata eſt MARIA adhuc trimus in Templo Ieroſolymitano; nempe vt ibi ſegregata ab omni hominum conſortio, oraret attentiùs *in abſcondito tabernaculi Dei.* S. Bernardus ſecretam & attentiſſimam orationem MARIÆ fuiſſe ait, cum ad eam ſalutandam Miſſus eſt Archangelus Gabriel; expendens hæc verba: *Ingreſſus ad eam Angelus. Quid ingreſſus ad eam?* inquit: *puto in ſecretarium pudici cubiculi: vbi illa fortaſſis clauſo oſtio orabat Patrem in abſcondito. Suſpicandum non eſt quod apertum Angelus invenerit oſtiolum Virginis: cui nimirum propoſitum erat, fugere hominum frequentias, vitare colloquia; ne orantis perturbaretur ſilentium.*

Tom. 1, Ser. 63.

Hom. 3. ſuper Miſſ.

Addit Bernardinus de Buſtis; quod eo fine noctu potiùs, quàm pleno die contemplationis munus obire ſolita eſſet: Ita enim de illa ſic ait S. Ioſephum alloquens: *Quid agebas, ô bone Ioſeph, quando videbas Sponſam tuam de nocte ſurgere ad orationem, & in oratione à terra*

Ser. 12. de deſponſ. B. Mariæ.

terra elevatam, & innumera Angelorum multitudine circumdatam, magnoque splendore renitentem? sæpe tamen pro peccatorum conversione, cum lacrymis Deum deprecantem? credo quod tu & cum orante orabas, & cum lacrymante lacrymabaris, & totus devotione replebaris, meritis dilectissimæ Sponsæ tuæ.

Et verò divinæ contemplationi ita perfectè vacabat MARIA, vt nulla mentis evagatione, nulla exteriori occupatione ab ea distraheretur. Quod notavit etiam Dionysius Carthusianus, sic scribens: *Nulla vnquam inordinata affectio, distractio, fragilitas mentem Virginis à contemplationis lumine revocavit, nec occupatio vlla exterior:* Ita enim in Dei lumen, quoties oraret, mentis figebat obtutum, vt nulla distractionis nubes, inter lumen & Virginis mentem interponeretur. *De Laud. B. Virg. lib. 2. art. 8.*

Secundò, fervor charitatis in Deum præcipuè orationem MARIÆ commendabat. Talis enim debet esse oratio nostra, inquit B. Ephrem, vt qui tunc sociamur Angelis; imò ipsismet Cherubinis & Seraphinis, qui Divinitatis ignibus inflammantur. *Esto*, inquit, *totus orationis tempore velut cælestis Angelus: & sic contende, vt oratio tua sit sancta ac pura, immaculata & irreprehensibilis: vt cum illam sursum ascendere viderint, portæ cælestes, vltro confestim ei aperiantur: vt cernentes Angeli, & Archangeli cuncti lætantes illi occurrant, & coram sancto & excelso throno immaculati Domini ipsam offerant. Sic ergo orationis horâ esto Deo conjunctus, vt Cherubim & Seraphim.* Non alia fuit oratio MARIÆ, id est, tota ardens in amore Dei, in quo Seraphinorum ardores & flammas longè superavit. Nam si primo Conceptionis suæ immaculatæ instanti, Essentiæ Divinæ conspectu elevata est super omnes Angelorum choros *Ser. de Virginis.*

 &ordi-

& ordines, & perfectiorem tunc amoris Divini actum eliciuit neque vnquam intermiserit, sed continenter auxerit: quàm inflammatam fuisse putandum est ejus orationem? Hinc illæ, vt Sponsæ in Canticis frequentes

Cant. 5. æstuantis ejus animæ aspirationes: *Adjuro vos, filiæ Ierusalem, si inveneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.*

Tertiò, perseverantia quæ in oratione necessaria est, in Virgine quoque summa fuit: vtpote semper continua, nunquam intermissa; quippe quæ orans aspirando potiùs, quàm expirando vitam finierit: Erat MARIA orans & contemplans, dum adhuc esset in terra, planè

Lib. 4. de Laud. Virg. vt Angeli in cœlo, de quo sic Richardus de S. Laur. MARIA *virtute contemplandi quodammodo patriæ donata est: vnde de illa dictum est.* Sap. 18. *cœlum attingebat, stans in terra.* Sed ad istam orandi perseverantiam nihil cla-

Cant. 5. riùs ac solemniùs, quàm verba illa Sponsæ. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Dormiebat B. Virgo non solùm, quia à terrenis curis soluta altissimæ contemplationi vacabat; vt nunquam vlla aliena cogitatione à divina distraheretur, prout ante dictum est: sed etiam nec somnus corporis ejus orationem præscinderet, aut impedi-

Lib. 2. de Virgin. ret mentis obtutum in Deum. Hinc illud S. Ambrosij, vbi de ea loquens, sic fatur: *Cum quiesceret corpus ejus, vigilabat animus; qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat.* Figuram hujus habemus in Iacob, qui cum dormiret scalam vidit, cujus culmen ad cœlum pertingebat: juxta quod Rupertus ex-

Lib. 5. in Cant. pendens præmissa verba Canticorum, B. Virgini aptat in hunc modum: *Intelligimus quid dicas: ego dormio & cor meum vigilat; scilicet quia talem vt sequamur vitam, tuum esse insinuas, quale in patre tuo Iacob: quasi per*

umbram significata es, quod & ipse quando dormivit, tunc cor ejus vigilavit. Sicut scriptum est: cumque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram & cacumen ejus cœlum tangens. Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ. Multarum quoque animarum fuit, & est, non solum secundum illam similitudinem otio sancto dormire, id est, *à terrenis curis vacare, & in cœlestibus per contemplationem corde vigilare. Verùm etiam eodem modo, quo & Iacob tunc dormivit, secundum corpus Domino: & secundum animam, per somnum cælestia contemplari.*

Præterea dormiebat simul & vigilabat MARIA quia ita perfectissimè orationi & contemplationi rerum cœlestium vacabat, vt etiam nostri curam gereret: nobis vigilabat, nostræ saluti, nostro profectui: sic etiam plerique verba hæc exponunt. Certè hoc amor potest, vt vel in somno de re amata cogitare faciat. De se ipso ita loquitur D. Chrysostomus, adducens hunc locum Canticorum. *Ego dormio & cor meum vigilat: id ipsum & nobis contingit. Nam somni necessitas palpebras ipsas contrahit. Tyrannus verò amoris vestri oculos nostræ mentis excitat: atque sæpenumero per somnum vobis loqui videor. Etenim consuevit anima, quæ interdiu cogitat, eadem in somniis per phantasiam cernere.* Habes hîc boni Præsulis notam: perfectiùs id MARIÆ accidisse quis dubitet? Somnum MARIÆ, ejusque contemplationem nostrum esse profectum noverat ille, qui dicebat: *Adjuro vos filiæ Jerusalem ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* In quæ verba sic Gillebertus Abbas: *utile vobis est*, inquit, *ut dilecta evigilet:*

Hom. 10. de pauit.

Cant. 3.

Ser. 14.

& ordines, & perfectiorem tunc amoris Divini actum elicuit neque vnquam intermiserit, sed continenter auxerit: quàm inflammatam fuisse putandum est ejus orationem? Hinc illæ, vt Sponsæ in Canticis frequentes
Cant. 5. æstuantis ejus animæ aspirationes: *Adjuro vos, filiæ Ierusalem, si inveneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.*

Tertiò, perseverantia quæ in oratione necessaria est, in Virgine quoque summa fuit: vtpote semper continua, nunquam intermissa; quippe quæ orans aspirando potiùs, quàm expirando vitam finierit: Erat MARIA orans & contemplans, dum adhuc esset in terra, planè
Lib. 4. de Laud. Virg. vt Angeli in cœlo, de quo sic Richardus de S. Laur. MARIA *virtute contemplandi quodammodo patriæ donata est: vnde de illa dictum est.* Sap. 18. *cœlum attingebat, stans in terra.* Sed ad istam orandi perseverantiam nihil cla-
Cant. 5. riùs ac solemniùs, quàm verba illa Sponsæ. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Dormiebat B. Virgo non solùm, quia à terrenis curis soluta altissimæ contemplationi vacabat; vt nunquam vlla aliena cogitatione à divina distraheretur, prout ante dictum est: sed etiam nec somnus corporis ejus orationem præscinderet, aut impedi-
Lib. 2. de Virgin. ret mentis obtutum in Deum. Hinc illud S. Ambrosij, vbi de ea loquens, sic fatur: *Cum quiesceret corpus ejus, vigilabat animus; qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat.* Figuram hujus habemus in Iacob, qui cum dormiret scalam vidit, cujus culmen ad cœlum pertingebat: juxta quod Rupertus ex-
Lib. 5. in Cant. pendens præmissa verba Canticorum, B. Virgini aptat in hunc modum: *Intelligimus quid dicas: ego dormio & cor meum vigilat; scilicet quia talem vt sequamur vitam, tuum esse insinuas, quale in patre tuo Iacob: quasi per*

vmbram

umbram significata es, quod & ipse quando dormivit, tunc cor ejus vigilavit. Sicut scriptum est: cumqúe venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Viditqúe in somnis scalam stantem super terram & cacumen ejus cœlum tangens. Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ. Multarum quoque animarum fuit, & est, non solum secundum illam similitudinem otio sancto dormire, id est, *à terrenis curis vacare, & in cælestibus per contemplationem corde vigilare. Verùm etiam eodem modo, quo & Iacob tunc dormivit, secundum corpus Domino; & secundum animam, per somnum cælestia contemplari.*

Præterea dormiebat simul & vigilabat MARIA quia ita perfectissimè orationi & contemplationi rerum cœlestium vacabat, vt etiam nostri curam gereret: nobis vigilabat, nostræ saluti, nostro profectui: sic etiam plerique verba hæc exponunt. Certè hoc amor potest, vt vel in somno de re amata cogitare faciat. De se ipso ita loquitur D. Chrysostomus, adducens hunc locum Canticorum. *Ego dormio & cor meum vigilat: id ipsum & nobis contingit. Nam somni necessitas palpebras ipsas contrahit. Tyrannus verò amoris vestri oculos nostræ mentis excitat: atque sæpenumero per somnum vobis loqui videor. Etenim consuevit anima, quæ interdiu cogitat, eadem in somnijs per phantasiam cernere.* Habes hîc boni Præsulis notam: perfectiùs id MARIÆ accidisse quis dubitet? Somnum MARIÆ, ejúsque contemplationem nostrum esse profectum noverat ille, qui dicebat: *Adjuro vos filiæ Jerusalem ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* In quæ verba sic Gilbertus Abbas: *vtile vobis est*, inquit, *vt dilecta evigilet:*

Hom. 10. de pauit.

Cant. 3.

Ser. 14.

let; sed exspectandum donec ipsa velit. Adhærens dilecto vnus cum illo effecta est Spiritus; interim bibula bauriat, quod refundat vberius. Sic ille: qui licet generaliter de Sponsa loquatur, in Virgine tamen locum quoque habet quàm aptissimum.

§. 2. *Quàm Deo grata & efficax fuerit* MARIÆ *oratio.*

QVod ad efficaciam & suavitatẽ orationis MARIANÆ spectat: non potuit non esse fortissima, & gratissimi odoris. Testatur se delectari Sponsus dilectæ Sponsæ colloquijs, cum ait in sacro suo Epithalamio: *Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis:* additque rationem: *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Cant. 2

Addo ita efficacem & gratam Deo, MARIÆ Virginis orationem esse, vt illa cessante, videantur omnia cessare, sive quæ in terra, sive quæ in cœlo, ad subsidium & vtilitatem nostram esse possunt. Siquidem MARIÆ orationem, orationi aliorum Sanctorum, qui in cœlo degunt, & Dei visione perfruuntur præfert S. Anselmus, in Alloquijs cœlestibus, quæ novissimè prodiêre. *Habet orbis Apostolos, Patriarchas, Prophetas, Martyres, Confessores, Virgines, bonos & optimos adjutores, quos supplex orare concupisco. Tu verò Domina omnibus his adjutoribus melior, & excelsior es: quia istis & alijs Sanctis omnibus, etiam Angelicis Spiritibus, nec non Regibus & potestatibus mundi, divitibus, pauperibus, Dominis, servis, majoribus & minoribus Domina es: & quod possunt omnes isti, tu sola potes sine illis omnibus. Quare hoc potes? quia Mater & Salvatoris nostri, Sponsa* Vide Novar. in vmbra Virg.

Sponsa Dei, Regina cœli & terræ, & omnium elementorum. Te ergo requiro, ad te confugio & vt me per omnia adjuves suppliciter peto. Te tacente nullus orabit, nullus juvabit. Te orante omnes juvabunt, omnes orabunt.

Sed quidni clariùs adhuc ostendo, quæ sit orationum MARIÆ Virginis efficacia? ac primò dicere haud vereor cum Galatino, mundum vniversum Virgini debere, quod ejus precibus sustentetur ne ruat, ne labatur: sic enim ait: *Non solum totus mundus amore Beatissimæ Virginis conditus est; sed etiamnum sustentatur. Mundus enim ipse ob pravas nostras actiones nullo pacto consistere posset; nisi ipsa gloriosa Virgo, eum sua misericordia, ac clementia pro nobis orando sustineret.* De justis Sanctisque viris vniversim dicitur apud Iob: *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* Itàne curvantur? sed quomodo sustinent? quis non crederet orbem ruïturum, cum curvantur illi, qui illum sustinent? Aliter tamen fit: ideò enim non ruit orbis quia curvantur, qui illum portant. Quomodo inquies, hoc fieri potest? quia curvatio ista non est sub onere fatiscentis, sed in oratione flectentis genu. *Curvantur qui portant orbem*, orationem pro orbe fusuri, ne cadat; Idcirco Sancti orbem sustinent, quia curvantur: nisi curvarentur mundus rueret; Sancti enim orbem sustinent, dum suis meritis precibusque præstant, ne ob humani generis scelera, orbis ruat; ruiturus nisi orationis fortitudine sustineretur. Interpretatio est S. Hieronymi in hunc locum Iob: *Portantes orbem*, inquit, *Sancti rectè intelliguntur, qui gloriâ meritorum suorum magni & potentes sunt apud Deum. Hi ergo cordis humilitate ad interveniendum pro peccatoribus in conspectu ejus sunt incurvati. Ita Sancti portant mundum ne ruat ac pereat, orationum suarum fortitudine*

Ser. 7. de Arcan. c. 2.

Cap. 9. Vide Novar. in vmbra Virg.

 sustinent.

sustinent. At melius orbem portat B. Virgo, quàm Sancti omnes. Vnde benè S. Fulgentius, *Cælum*, inquit, *& terra jamdudum ruissent, si non* MARIA *precibus suis sustentasset.* Additque Novarinus, & piè credit, dum Christus cruci affixus, toto corpore saucius, ac dicterijs Iudæorum appetitus, dum Patrem orat pro crucifixoribus: etiam MARIAM, in omnibus Filij sui æmulam, idem præstitisse: indeque accidisse vt terra non diduceretur, & omnes qui aderant (sicut Dathan & Abiron factum legimus) absorberet & deglutiret.

Lib. 4. Mysbol.

Oratione MARIÆ ita flectitur Christus, vt Iudicis severitatem exuat erga peccatores; quod pleniùs ostensuri sumus ad Elogium *Advocata*. Interim vt hîc aliquid dicam: dura erat Petra, quam Moïses virgâ percussit: attamen statim atque à virga tacta est, aquarum fluenta dedit, vt biberet & populus, & jumenta; *Cum enim, elevasset Moïses manum, percutiens virgâ bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & jumenta.* Fac durum ac severum cogites Dei Filium; at mitis fiet & vberrima gratiarum fluenta affundet, Indulgentiæ ac misericordiæ aquas depromet; si prece & oratione MARIÆ, tanquam virga quadam spirituali, tangatur in favorem peccatorum. In quam rem recurrunt verba ejusdem Richardi supra, qui sic fatur: *Petra Christus*, inquit: *duritiæ hujus petræ, rigor est, sive severitas Iustitiæ Divinæ. Ipse nunquam ita severus, aut durus est erga peccatores; quin effundat aquas gratiarum, vel Indulgentiæ; si hæc Virga, id est Virgo* MARIA *ipsam tetigerit pia oratione.* Sed quis satis explicet suavitatem odoris ac suffitus, quem *Thuribulum istud aureum* exhalavit, non modò terris, sed cœlo ac cœlestibus omnibus gratissimum? Cum post diluvium,

Num. c. 20.

Ibidem.

Noë

Noë egressus de arca obtulisset Deo holocaustum de pecoribus & volucribus mundis; addit sacer textus: *Odoratusque est Dominus odorē suavitatis.* Quæro vnde odor iste suavissimus ad cœlum vsque pervenit, Deumque oblectavit? certum est non simpliciter fumum hunc sacrificij & odorem qui cum fumo ascendebat sursum; placuisse Deo, vt fœtorem peccatorum quasi à naribus Dei averteret: sed intelligendum est, inquit S. Chrysostomus, placuisse Iusti Noë orationem, quam è corde amoris igne inflammato, tanquam *Thuribulo* quodam exhalabat: sic enim scribit: *Iusti Noë virtus, fumum & odorem, Deo fecit odorem fragrantiæ.* Quod sic hoc de oratione Noë dicatur, qui de oratione B. Virginis dicendum est? ad quam omnium virtutum fragrantia, & odor, ignis amoris divini, puritas immaculata cordis, veluti ex constituto confluxerunt? Gen. 8.

§. 3. *Motiva ad orationis studium exemplo* MARIÆ.

MOtiva non pauca sunt, quibus ad orationis studium excitamur, & quidem exemplo MARIÆ. Pro motivis testimonia SS. Patrum passim occurrunt qui nobis dignitatem & excellentiam orationis proposuêre. S. Augustinus ait: *Oratio est animæ Sanctæ præsidium, Angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium*, Sancti Gregorij Nisseni verba hæc sunt: *Oratio corporum robur est, abundantia domus, virginitatis sigillum, matrimonij fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, eadem cum Angelis conditio.* S. Chrysostomus eximius orationis encomiastes sic inquit: *Magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, jucundum cum Deo* Ad Prob. Lib. de Orat. Hom. 30 in Gen.

Deo colloquium. Et plura longè habet in tractatu de orando Deo. Ita plurimi cum S. Antonio precibus Deo fundendis adhæsêre, vt per totam noctem orantes, conquererentur de exortu solis, qui suorum radiorum luce orationis suavissimæ exercitium perturbaret.

Ascensionem mentis in Deum, jure SS. Patres orationem esse dixerunt: & ita quidem, vt vi mentis cœlestibus cogitationibus occupatæ, etiam orantium corpora sæpe numero in altum tollerentur. Ferventissimus P. Didacus Martinez Soc. IESV, sic erat affixus orationi, vt cum noctes in eo exercitio transigeret, etiam in medijs agris orans: vt sępissimè visus sit Indis & Hispanis super cacumina ingentium arborum elatus, medioque aëre detentus, mira luce, quasi phœnomenon aliquod gratiæ ac salutis circumfundi.

Nieremb. in Asceti-cis.

Cæterùm addo exemplum MARIÆ nobis imitandum esse, si in eo orationis exercitio, Deo grati esse velimus: adeoque aromata nobis comparanda, omnium virtutum copiâ: aurum cordis puritate, ignem amore Dei vehementissimo: quæ tria in *Thuribulo* nostro mystico & *aureo* colliguntur.

De fragrantia orationis, ex virtutum mixtura & vnione, quasi ex aromatibus, loquitur S. Ioannes Evangelista cum ait: *Quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores coram Agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Magna sanè orationis commendatio hæc est; esse Deo & cœlesti curiæ gratissimum thymiama, & instar suavissimi aromatis, totum cœlum suavitatis suę fragrantia replens. Vnde meritò dixit Vmbertus: *Valde grata est oratio devota cælesti curiæ, quam velut quædam redolentia delectat.* David quoque ait: *Dirigatur oratio*

Apoc. 5.

Lib. 6. p. 4. cap. 3.

Psal. 102.

oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Nimirum ſicut thymiama pretioſiſſimum. Eadem ratione ſponſa: *Vadam*, inquit, *ad montem myrrhæ, ad collem thuris.* Nec Sponſus hoc ſubticet: cum ait, *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis*, mortificationem videlicet cum oratione, quæ inſeparabiliter ſociari debent; ſicut in adolendo thymiamate, quo juge ſacrificium offerebatur. Imò & thuris etiam oblatio non aliter *thuribulo* aut prunario imponebatur, quàm illud fuiſſet primùm piſtillo contuſum, quod mortificationem adumbrat. Cant. 4. Cant. 5.

Porrò hic ſuaviſſimus orationis odor, haud animæ inutilis eſſe ſolet: multas enim nobis benedictiones comparat. Iſaac vt ſenſit fragrantiam veſtimentorum Iacob benedixit illi, dicens: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & ſerviant tibi populi & adorent te Tribus. Eſto Dominus fratrum tuorum.* Sic Deus cum ardentis orationis fragrantiam ſentit: benedicit animæ devotæ, impletque eam rore gratiarum, & bonorum corporalium pinguedine; quatenus ſpiritum juvare poſſint: dominamque illam conſtituit corporis fratris ſui majoris natu, vt caro ſubdita rationi in omnibus virtutibus felici procedat curſu. Gen. 27.

Quod autem *thuribulum aureum* eſſe dicatur B. Virgo; denotat eum qui orationi vacat, purum eſſe debere ab omni culpa & contagione vitiorum. Sic legimus in Geneſi, vbi dicitur Abel obtuliſſe Deo ſacrificium cum oratione: *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus:* Vt nimirum intelligeremus non tantùm orationem noſtram attendi à Deo; verùm etiam quàm ſincero & puro illam animo & corde offeramus; id eſt, *Thuri-* Cap. 4.

De Discip. Monastica cap. 18. *bulo aureo.* B. Laurentius Iustinianus postquam multis Elogijs orationem commendavit: addit, in *oratione nihil debere esse sordidum, nihil curvum, nihil coinquinatum: sed tota pulchra, & omnium bonorum fœcunda*: denique ab animo & corde puro, planè aurea.

Tertiùm, quod *Thuribulo* convenit, & quidem necessariò, ignis est: ita & orationi fervor atque ignis Spiritus Sancti ac divini amoris: sine quo non spirant aromata *thuribulo*, sive altari aureo imposita. Hinc Cap. 30. Ven. Beda explicans illud, quod habetur in Exodo de altari thymiamatis, concludit perfectam orationem non nisi perfectorum esse, qui per illud altare aureum significantur. *In hoc altari*, inquit, *tales* (id est perfecti) *non adhuc peccata carnis, & illecebras in se cogitationum mactare opus habent: sed tantùm ferè orationum spiritualium & cælestium desideriorum odoramenta, per ignem interni amoris, in conspectu sui conditoris offerunt.*


Aspiremus ergo & nos ad perfectam istam orationem MARIÆ & Sanctorum: offerant Angeli orationes nostras Deo, & fiamus *Thuribula aurea.* Vnde Vrbanus Cap. 8. IV. Pontifex in hunc locum Apoc. sic ait, Deum alloquens: *Hoc est ara templi sancti tui, quod sum ego, juxta quam stat Angelus ad custodiam deputatus, habens thuribulum aureum in manu sua, vt cum incenso multo, orationes coram te, Domine, fusas cum lacrymis repræsentet.*

LITERA

LITERA V.

VITÆ ARMARIVM.

Qui me invenerit, inveniet vitam. Prov. 8.



Ignum vitæ, quod plantatum legimus in medio paradisi: tantæ erat virtutis, vt fructus ejus gustatus & comestus vitam homini conservare posset, ac prorogare reparato humido radicali: atque sic à morbis & senio immunem, sanam, quietam & jucundam reddere: denique immortalem, si Adam non peccasset. Ex hac arbore vitæ fabulati sunt Poëtæ, finxeruntque suum nectar & ambrosiam; quasi cibos deorum, qui eos faciant immortales, juvenes semper lætos & beatos. S. Bernardus ac B. Andreas Mediolanensis Ord. Eremitarum, B. Virginem ligno vitæ comparant. Annotat quidam Hebraicè pro *vita*, legi *vitarum*: Vnde non incongruè MARIAM *Vita armarium* appellat Chrysippus Præsbyter Hierosolymitanus, ex quo scilicet non vna sed plures vitæ hauriri possunt.

Gen. 2.

Lib. de Excell. B Virg.

§. 1. *Vita corporalis.*

§. 2. *Vita spiritualis quæ est animæ per gratiam.*

§. 3. *Vita æterna, quæ est gloria & Beatorum in cœlo.*

Sanctus Epiphanius considerans Evam persuaso Ada-

mo, vt ederet de fructu arboris vetitæ, mortem toti generi humano causasse: miratur, neque immeritò cur in scriptura *Mater viventium* appelletur: cum potiùs dicenda sit *Mater morientium*. Respondet hoc per ænigma & factum & dictum: *Eo quod*, inquit, *per Evam* MARIA *significabatur: inde factum est vt per ænigma Mater viventium appellata sit*. MARIA siquidem triplicem nobis vitam procurat; vitam scilicet temporalem, spiritualem & æternam: vnde jure merito *Armarium vitæ*; vereque de illa dicitur per Salomonem: *Qui me invenerit inveniet vitam*: imò & *vitas*.

Gen. 3.

§. I. *Vita corporis à* MARIA.

INter Astrologos, varia est stellarum speculatio, & observantia: quasdam enim constellationes fatales vi esse; alias benignas: illas mortem portendere: has vitæ longioris cursum, adeoque vitales esse affirmant. Cæterùm vana est Astrologorum conjectura: neque enim fatalitas humana stellis ac sideribus affixa est. De stella autem quæ ab aspectu MARIÆ clarescit, aliter philosophandum: certoque asserere licet, vitalem esse: quin ipsam, ita appellat Hesychius: ἀστέρα ζωῆς. Qui sub ista stella nascitur non potest non feliciter, & fortunatè vitam ducere: juxta Mariani nominis præsagium. Sub isto sidere Mariano fortunatè natus S. Ioannes Baptista: nam & adhuc in matris vtero præsensit astri hujus felicitatem; vividiorque esse cœpit subsiliens, antequam nasceretur, & in lucem prodiret: Quid plura? Prophetat sine voce infans: prophetas parentes fecit: vix in lucem editus, admirationem omnibus movet: omniumque stupor efficitur, sibimet invicem dicentium: *Quis putas*

Orat. in Virg. laud.

tas puer iste erit? vnde hoc quæso, nisi à MARIÆ stella, sub quâ nascitur? Quod tradidisse videtur Petrus Damianus, vbi agens de salutatione MARIÆ ad Elizabetam cognatam, hæc habet verba: *Ioannem summæ felicitatis immensitas largiùs irroravit.* Ser. 25.

Observatum est apud Insulenses in Belgio Sacellum B. Virginis Cancellatæ in æde Collegiata S. Petri, auspicium quoddam esse vitale infantibus; quoties eidem Virgini à parentibus offeruntur: quod promiscuè nunc apud eos, ex vsu ac pietate parentum solemne est. Appono Poëtæ commentum de hac materia. De cultu Deip. lib. 1. n. 7.

Finge colum, & ternas, quæ ducunt stamina, Parcas;
Dum certant fusos evoluisse suos.
Sunt quibus exilem nent putri stamine vitam,
Nec fata in longos fortè trahenda dies.
Serica cui pexo deducunt murice fila,
Vivit, & intactum forfice durat opus.
Ista Marianos circumdant licia clathros;
Et vitæ auspicium prosperioris habent.
Mater erat, fama est (nec famæ incerta vetustas)
Ægra cui clausum membra gravabat onus,
Quid faciat? languet: novies jam luxerat orbi
Cynthia, & admissos dena movebat equos.
Nititur ad partum; partusque doloribus impar,
Vix superest: clausum viscere funus erat.
Parve dolor matris, genitali extincte sub alvo,
Iam fient cunæ funebris vrna tuæ.
Iam tibi quæ fuerat teneros vinctura lacertos
Fascia, ad inferias vltima vestis erit.
Flet Mater, sociæque nurus: heu! parvule, clamant;
Haccine summa dies, quæ tibi prima fuit!
Fæminei resonat planctus miserabilis echo,

Tristiaque infantis funera saxa dolent.
Cum subitò conversæ omnes: quid flemus inultæ?
Exclamant: titulum funeris Orcus habet.
Corpore quod livet, stygis est color: ociùs ergo
Ad superas nobis vota ferenda plagas.
Sistendum Mater Clathrata suggerit Ara:
Plus alvo locus hic, plusque parente potest,
Nec spes vana fuit: dictam defertur ad Aram:
Et prope quàm tangit, tam citò sentit opem.
Facta cano: lacrymis ter ocellos sustulit vdos;
Ter quoque vagitus edidit ore puer.
Credibile est rubuisse genas, rituque precantis
Tunc primùm elatas consertüisse manus.
Scilicet hæc fuerant melioris nuntia vitæ,
Certaque luciferas signa petentis aquas.
Abluitur, movet ora puer (sensisse putares)
Quaque suam poterat voce salutat Heram.
Quis vetet hæc cupidas pueris accurrere matres,
Molliaque admotâ ducere fila manu?

Adde nihil non esse vitale in MARIA, quandoquidem sola ejus nominis vmbra ad vitam corporalem profuerit. Venerat Christus ad Lazarum jam defunctum, & fœtentem quatriduanum in monumento, vt eum ad vitam revocaret: sed antequam id aggrediatur sermone habito cum Martha: vocari jubet etiam Mariam Marthæ & Lazari sororem. *Abijt ergo* (Martha) *& vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.* Non caret hæc res mysterio, inquit Novarrinus, quod revocandus ad vitam à Christo Lazarus; Maria Magdalenæ soror ejus etiam advocatur: quasi solius Deiparæ vmbra, nominisque agnatio potens sit Deum trahere ad hominis salutem

Ioan. 11.

operandam,

operandam, vitamque defunctis tribuendam. Vocatur ergo Maria Magdalena, vt ea præsente Lazarus vitæ, Christi imperio restitueretur: vt ab vmbra nominis, quid MARIA Virgo in mortem posset, disceremus. Debemus acumen istud S. Petro Chrysologo, qui sic scribit: *Martha mittitur ad Mariam; quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita reparari: veniat Maria, veniat materni nominis bajula, quatenus prodeant ab inferis mortui, exeant de sepulchris.* Ser. 64.

Nec desunt miracula quæ veritatem hanc illustriorem faciant. Filius cujusdam matris gladio pectus imposuerat, vt se transfoderet, & vim sibi ac mortem inferret. Vidit hoc mater, & statim ad Virginem mentem dirigit, imò & vocem. MARIAM invocat, vt ad reverentiam puririssimæ Conceptionis, filium ab hoc periculo eximeret, & ab imminente morte, quam sponte subibat, pro sua pietate subtraheret. Audivit preces B. Virgo in Conceptionis suæ Immaculatæ reverentiam. Incubuit gladio, furibundus iuvenis, & gladius vestes permeat; sed vbi ad carnis cutem pervenit, tanquam cereus esset, se flexit: mortique eximitur, qui quærebat mortem. Bernard. de Bust. in ser. 6.

Quinimo inter fauces mortis, inque ipsa, vt sic dicam, morte vitam conservat Virgo; deque ea triumphum agit. Ecquid enim mirabilius esse potest, quàm Sacerdos ille Dalmata, qui peregrinationem ad D. Lauretanam obiens, extracta radicitus intestina ab Turcis militibus: eo quod nomina IESV & MARIÆ quæ invocabat, infixa sibi esse in visceribus diceret: detulit ipse ad Lauretanam Virginem, vacuo pectore; vbi vitæ sedes, non paucorum dierum itinere: stupentibus cunctis, & Lauretanæ Divæ in ipsa morte, deque ejus Tursel. lib. 2. cap. 18.

imperio

imperio triumphum agentis, virtutem ac potentiam deprædicantibus.

§. 2. *Vitam spiritualem, quæ est animæ per gratiam procurat Virgo.*

PArum esset si vita corporalis dumtaxat à B. Virgine exspectaretur: *Armarium* est etiam *vitæ* spiritualis, quæ est animæ per gratiam: atque in hoc præcipua ejus cura consistit, versaturque materna ejus pietas. Ad quod facit Idiotæ sententia, qui asserit MARIAM idem esse in anima, ac respirationem vitalem in corpore. *Est*, inquit, *Maria spiraculum hominis: peccator enim per Mariam respirat in spe veniæ & gratiæ.* Convenit cum Idiota Richardus à S. Laur. qui huc flectit verba Salomonis: *Lucerna Domini spiraculum hominis.* Vbi statim addit: *Dicamus & nos: Lucerna Dominæ, id est* MARIÆ, *quæ illuminatrix & Domina interpretatur; spiraculum hominis, quia per eam respirat peccator in spe veniæ & gratiæ.* Et verò ita ad vitam spiritualem necessaria est MARIA: vt sicut corpus sine anima vivere non potest; ita nec anima vitam agere spiritualem nequit sine MARIA. Quantus invaderet dolor, si is qui suâ culpâ à MARIA discedit, id seriò cogitaret? Audiendus hîc S. Germannus Constantinopolitanus Archiepiscopus: *Non tantùm*, inquit, *dolet anima cum à corpore divellitur, quantus dolor te, ô Immaculata, privari.* Qui peccat non privatur solùm MARIA, sicut anima corpore: sed sicut corpus animâ: anima quippe omnium spiritualiter viventium est MARIA: Corpus anima destitutum omni decore ac pulchritudine caret: anima tota fœtida & cadaverosa est, si à Virginis affectu

De Contempl. Virg. c. 5.

Prov. 20.

Serm. de Dorm. Virg.

affectu abeat, & per consequens Virginis patrocinio destituatur.

Quicumque Virginis affectum spirat, non potest non ad vitam gratiæ aspirare. Vidua illa hospitalis Eliæ, filium tandem amisit: convenit Eliam, vt illum vitæ restituat: cui ille: *Da mihi*, inquit, *filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, & portavit in cænaculum vbi ipse manebat, & posuit super lectulum suum.* Quid plura? Ibi puer vitæ restituitur & matri suæ redditur. Observat hîc Novarrinus quod resuscitandus in matris sinu reperitur, è matris gremio suscipitur. Nempe reviviscere debebat, qui etsi mortuus, matris sinum non deserverat. Hoc idem verus Elias Dominus IESVS præstat: vitæ spiraculo eos mortuos afflat, qui in matris gremio jacent, qui MARIÆ precibus & meritis juvantur. Cum tibi mors imminet, aut jam te invasit: vide ne materno sinu excutiaris, ne à Virginis Sodalitio & patrocinio abeas. Ad hoc reduci possunt Gilleberti Abbatis verba: *Non expedit tibi*, inquit, *extra materni sinus ambitum reperiaris, ne fortè non tollat te verus Elias in cubiculum suum. Quos resuscitat Christus mulierum fletibus donat: sic viduæ filium, sic Sanctarum fratrem mulierum; sic parentum precibus suscitavit puellam. Tolle, bone* IESV, *& hunc mortuum de matris gremio.* Qui in sinu matris jacet ad vitam revocabitur, hoc est, gratiam vitamque animæ inveniet. Neve de hoc aliquis dubitare possit, ipsa MARIA inventrix est gratiæ, id Archangelo attestante: *Invenisti gratiam apud Deum.* Vnde D. Bernardus sic suadet: *Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quod quærit invenit, & frustrare non potest.* Idem asserit S. Bonaventura: *Invenient*, inquit, *peccatores gratiam apud Deum, per te, ô* MARIA.

3. Reg. c. 17.

In vmbra Virg.

Ser. 16. in Cant.

Vide Salasar in Prov. cap. 8.

Inventricem gratiæ & salutis. Sicut ergo Sanctorum quosdam invocare solemus, cum aliquid amisimus: quia illorum ope, deperdita invenire experimento discimus: sic etiam cum gratiam & vitam spiritualem amisimus, Virgo à nobis votis omnibus invocanda est, vt per ipsam invenire liceat. Gratia quidem difficilis admodum inventu est. Solent qui aliquid deperditum investigant, loca repetere vbi illud se amisisse meminerunt: atque facilior redditur inventio, quò magis loca ista in promptu sunt: sed tamen gratiæ inquirendæ longè diversa est ratio. Nam loca illa in quibus nos amisisse meminimus, vitare omnino aut fugere debemus: atque adeò promptior inventio est, cum ea loca oblivioni tradidimus. Rursus cum gratiam in nobis ipsis amiserimus nequaquam jam in nobis reperire licet: imò verò contraximus, debitum ac meritum nunquam recuperandi illam. Hæc omnia difficilem inventu gratiam reddunt. Cum igitur gratiam neque in ijsdem locis, in quibus illam amisimus; nec in nobismet ipsis reperire liceat, vbinam tandem invenienda est? sanè apud Deum: sed quis ad illum pertingere, & gratiam ab illo exquirere possit? nullus est præter MARIAM, ad quam sic Archangelus Gabriel: *Invenisti gratiam apud Deum.* De qua & Sanctus Idiota: *Inventa Virgine Maria invenitur omne bonum.* At fortasse inquies, Virgo ipsa difficilis inventu est: nec minùs forsitan quàm ipsa gratia. Absit hoc quæso: nam Deipara Virgine nihil ad inveniendum faciliùs existit. De qua apud Sapientiam: *Facilè videtur ab his qui diligunt illam, & invenitur ab his, qui quærunt illam: præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.* Itaque licet gratia ipsa difficilis juuventu sit; ex eo tamen facilè est illam invenire, quod

In contempl. Virg.

Cap. 6.

quod per MARIAM, quâ facillimè juventâ, continuò gratia & omnium bonorum cumulus invenitur. Fortè etiam ſuggeret aliquis, difficultas erit in eò quod ſubditur: *Et hauriet ſalutem à Domino.* Nam vel vrceo ex fonte aquam haurire, laborem aliquem experimur. Verùm occurrit hîc D. Bonaventura cum docet, B. Virginem aquas vitæ, quæ nihil ſunt, quàm influxus gratiarum, ad os vſque perducere: *Maria,* inquit, *fontem vitæ influit in os meum, ex quo viventes aquæ profluunt, & emanant: qui bibit ex eo non ſitiet vnquam.* Ex quo diſcurſu & ante præmiſſis clariſſimè apparet, B. Virginem MARIAM *Armarium vitæ* eſſe, non tantùm corporalis, ſed etiam ſpiritualis, quæ per gratiam peccati expultricem, in nobis procuratur: Vnde fit vt Deo & æternitati vivamus. *In Pſalt.*

§. 3. *Quod B. Virgo procuret nobis vitam æternam, id eſt, vitam gloriæ in cœlo.*

TErtium vitæ genus, quod B. Virgo ſuis meritis ac patrocinio nobis acquirit, vita illa eſt æterna, ac feliciſſimus ſtatus Beatorum in cœlo. Ad cujus veritatis ſtabilimentum nos inducit Siracides, dum ait de B. Virgine, ſub typo Sapientiæ creatæ: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* In quæ verba ſic ſe explicat Sapiens ac Sanctus Idiota: *Impetra, ô Virgo, aſſiduis tuis poſtulationibus, vt te laudem, te glorificem, te benedicam; tuas virtutes enarrem, tua nuntiem, tuam exemplarem & deificam vitam prædicem, ſcripta de te elucidem, vt habeam in laudibus tuis vitam æternam: imò in vita æterna, laudes tuas, & benedicti Filij tui concinam, quia ſcriptum eſt: qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* *Eccli. 24.* *In contempl. Virg. c. 1.*

Quod si de Filio tuo, qui est Dei Sapientia, id dictum est: tibi quoque quæ ejus es superexaltata & superbenedicta Mater, id negandum non est.

Obſervat Abulenſis eos qui in veteri Teſtamento, apud Arcam fœderis, aut pro ejus defenſione mortui ſunt, quamquam infeliciter quoad corpus obierint, tamen animâ ſalvatos eſſe: Sic duo filij Heli Sacerdotis, qui in bello contra Philiſtæos occubuêre, quamvis gravibus flagitijs operti: tamen pro Arca pugnantes non æterna morte mulctati ſunt. Similiter Oza filius Abinadab, qui reducens Arcam calcitrantibus bobus, manum extenderat me corrueret, ſubita morte percuſſus corruit. Speciale eſt quod de Abiathar Sacerdote legitur. Secutus is fuerat Adoniæ partes regnum ambientis contra Salomonem: adeoque in ſummo vitæ periculo verſatus, poſt Regis Davidis mortem. Pepercit tamen ei Salomon, jam regni paterni hæres: cauſamque allegat his verbis. *Vade in Anatoth agrum tuum: equidem vir mortis es: sed bodie te non interficiam, quia portasti Arcam Domini, coram David Patre meo.* Remiſſus eſt ergo Abiathar Sacerdos, mollitâ ſententiâ in Anathoth: ſic & multi æterna morte damnandi, remittuntur ad pœnitentiam, etiam poſt obitum ſingulari MARIÆ beneficio, vt exinde maculis, quæ reſtabant confeſſione purgatis, tranſmittantur ad æternam vitam. Ecquid in hac re præclarius eſſe poteſt, quam Sacerdotis Normanni caſus inſolens? Adulterij reus conſcenderat hic navem, vt trajecto Sequana, vbi mari proximus & latiſſimus influit, oppidumque ex altera fluminis parte ſitum alluit, in quo ei domicilium erat, reverteretur. Vix autem ad medium flumen pervenerat, cum Beatiſſimæ Virginis Officium recitare cœpit; Quod ei

1. Reg. 4.

3. Reg. 2.

Hist. Lombard. Pelbartus in Stell. l. 4. p. 2. art. 3.

ad consequendum singulare beneficium mirificè pro fuit. Derepente enim à Dæmonum turba invasus, & vnà cum navi submersus in medijs aquis, vivendi finem fecit: animaque ad infera tormentorum loca abrepta; jam tertium illic diem gravissimis tormentis cruciabatur: cum inopinato adfuit, stipante Angelorum comitatu misericordiæ Mater, miserumque diabolicæ potestati ereptum, vtrique vitæ & corporis & animæ restituit: addita materna & salutari monitione; vt deinceps castè viveret, ac Festum Conceptionis suæ, aliosque ad eundem cultum adduceret. Addidit præterea B. Virgo reluctantibus dæmonibus, & de præda disputantibus, quam legitimè captam & in peccato læthali occupatam obtendebant; ita quidem esse: sed etiam suis laudibus ac Officio recitando occupatam; atque adeò æquum esse, vt ad vitam rediret, & actionibus pœnitentiæ ad æterna gaudia sibi aditum pararet. Nihil ergo veriùs Siracidæ dicto, Deiparæ Virgini applicato:

Qui elucidant me vitam æternam habebunt.

Quod si quis laudibus Virgineis voce prolatis hoc assequitur: quantò magis imitatione exempli, & expressis MARIÆ virtutibus? *In vmbra tua vivemus*: inquit Ieremias: quod non tantùm protectionem, verum etiam imitationem significat, inquit Origenes. Quippe vmbra imitatio est, ac veluti simia corporis. Richardus à S. Laurentio censet id etiam MARIÆ convenire. *In vmbra*, inquit, *id est in imitatione B.* MARIÆ *vita est anima: vnde dicitur ei sicut filio: In vmbra tua vivemus*. Non est vmbra mortis ista, sed vitæ. Quicunque ergo Virginem imitatur, & sic eam per mores virtutumque actus elucidat, vitam speret, eamque æternam ac perennaturam. Enimvero qui ejus characterem moribus expresserit, in-

Thren. 7.

venietur in libro vitæ, & à supernis civibus agnoscetur, Apoc. 1. & excipietur. Qui characterem bestiæ habet, ad gravissimas pœnas reservatur, vt scribit S. Ioannes Evangelista: *Si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua: hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero, in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure.*

Contrarium planè de eo dicendum, qui B. Virginis imaginem adorat, ejusque characterem vitâ exprimit: Is enim certò paradisi gloriam sperare potest, & vitam æternam, in libro vitæ scriptus haud inaniter exspectare. In Psal. Ita de hoc S. Bonaventura: *Qui acquirit gratiam* MARIÆ, *agnoscetur a civibus paradisi: & qui habuerit characterem ejus annotabitur in libro vitæ.* Itaque B. Virgo quò nos in sui amorem excitet, verè de seipsa dicit: *Qui me invenerit, inveniet vitam:* & quia *Armarium vitæ* secundum Chrysippum, triplicem profectò vitam, corporis scilicet, animæ, & gloriæ. Ita ergo illam colamus & amemus, vt triplici hoc beneficio ditati, vivamus cum illa, atque in æternum regnare, quæ vita beatorum est, aliquando possimus.

LITERA

LITERA Z.

ZELATRIX DIVINÆ LEGIS.

Zelus domus tuæ comedit me. Psal. 68.

ISaias Propheta de Deo agens, vtique jam parato ad vltionem, propter hominum peccata, ipsum inducit prodeuntem, *Opertum quasi pallio zeli.* Cap. 59. Plus tamen est quod insinuat David, cum ait: zelum non vt pallium, sed vt ignem ad interiora pectoris debet descendere, cor depasci, atque illud quodammodo exinanire. *Zelus domus tuæ comedit me.* Psal. 68. Habuit hunc in se perfectissimum Dei zelum, à summa scilicet atque ardentissima, quâ flagrabat, charitate, B. Virgo: vnde meritò *Zelatricem Divinæ legis* appellat Carthagena. Lib. 18. Itemque Ludovicus Blosius Abbas Lætiensis. In monili Spirit. Paucis hoc Elogium complectar, vt opus hoc cum Alphabeto concludam.

§. 1. *Quid sit verus zelus, & quomodo à falso differat.*
§. 2. *Quàm perfectus fuerit zelus Dei in B. Virgine.*
§. 3. *Quomodo cultor Marianus zelo accendi debeat: & quanti hoc sit momenti apud Deum.*

Interpretes Sacri ad illud Isaiæ: *Volavit ad me vnus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum & dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum* Cap. 6. *mundabitur:*

mundabitur: Quærunt quid per calculum de quo Propheta, intelligi debeat. Reſpondet primò per *calculum*, vel intelligi prunarium & carbonem ignitum: vel etiam carbunculum lapidem pretioſum, qui ſimilitudine ignis colorem & ſpeciem refert. Secundò myſticè Chriſtum repræſentare, qui ſua virtute id eſt, lumine & calore, illuminat intellectum, vnitque affectûs cordium ac voluntatum inter ſe: qui effectus ſunt ignis in natura. Tertiò per calculum Iſaiæ à Seraphino communicatum, quidam charitatis zelum ſignificare docent: quo purgatis labijs cœpit Iſaias verba ignita, ad inflammandum corda audientium: deletumque fuit peccatum Prophetæ, quod commiſerat tacendo, ex defectu zeli: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſuum.*

Scribanius in Orat. Christ. lib. 2. c. 11.

Ibid.

§. 1. *Quid ſit verus zelus, & quomodo à falſo differat.*

QVemadmodum inter vniones & gemmas, aliquæ reperiuntur adulterinæ, id eſt, aut naturæ vitio, aut Artificis manu vitiatæ: ita inter virtutes nonnullæ falſæ, aut certè de bonitate dubiæ: vnde zelum eſſe poſſe aut bonum, aut malum, aut certè ſuſpectũ. Vt hęc differentia clariùs appareat, ſciendum eſt, quæ ſit natura ac proprietas zeli. Angelicus Doctor in Summa, docet zelum nihil aliud eſſe, quàm *ardorem & intentionem charitatis contrarium repellentis.* Adeò vt ſi charitas & amor velut ignis eſſe cenſeatur: zelus inde procedens, quaſi pro flamma habendus ſit. Dicitur autem quod zelus in contrarium ſuum armatur: qualis zeloſi memorantur in Scriptura Sacra Dei honorem ac legem ſuſtinuiſſe, contra eos qui ex adverſo irruebant. Sic Phinees

1. 2. q. 28. art. 4.

nees filius Zambri fornicatorem Legis latæ adversarium pugione perfodit: sic Mathathias Machabæorum parens, Idololatriam ferro vltus est: sic Christus prophanatores templi, eversis nummaluriorum mensis, facto ex funibus quasi flagello, templo expulit: vbi adduntur hæc verba thematis mei: *Zelus domus tuæ comedit me.* Ad quæ verba S. Augustinus fideles instruens, sic fatur: *Vnumquemque Christianum zelus domus Dei comedat, in qua domo Dei membrum est.* Et rationem addit: *Non enim est major domus tua, quàm domus, vbi habes salutem æternam. Domum tuam intras propter salutem temporalem: domum Dei propter salutem æternam. Si ergo in domo tua, ne quid perversi sit, satagis: in domo Dei vbi salus reposita est, & requies sine fine, debes pati, si quid perversi fortè videris?*

Num. 25. Lib. 1. Machab. c. 2. Ioan. 2. Tract. 10. in Ioan.

Deinde post pauca idem inculcat, & ad zeli exercendi particulares occasiones descendit: *Vnumquemque Christianum zelus domus Dei comedat: verbi gratiâ: vides fratrem currere ad theatrum, probibe, mone, contristare, si zelus Dei comedit te. Vides alios currere & inebriari velle: probibe quos potes, blandire, noli quiescere.*

Et hæc quidem de vero zelo, qui ex sincero amore & charitate procedit: plurimi interea sunt qui zelum adulterant: & non tam *zelo* quàm *pallio zeli*, se vestiunt, vt ait Isaias: atque illi sunt, qui varios affectus & passiones animi quæsitis rationibus adulterant, vt zelus videatur esse, cum tamen ab ejus proprietate planè degeneret. Sic tales se olim præbuere Pharisæi, qui prætextu Iustitiæ, pietatis opera passim carpebant: sic & Iudas Iscariotes, murmurans de effuso super caput Christi vnguento pretioso à Magdalena, operit se quasi *pallio zeli*, pauperum subsidium obtendens: *Vt quid perditio ista vn-* Marci. 14.

guenti facta est? potuit enim vnguentum istud venumdari plusquam trecentis denarijs & dari pauperibus: Sic plerumque apud Iudicium forense res agitur, inquit Chrysologus: *Ad infamiam Iudicis, & nequitiam cognitoris: quaritur de curia crimen, de pietate accusatio, reatus de virtute, de salute supplicium. Sed mirum non est, semper offendunt bona malos, pia impios, sancta profanos: aut quando non lascivus disciplinam, virtutem vitiosus, innocentiam criminosus accusat?* Hinc sese statim zelus iste adulterinus & falsus infamat, si proficuos, si benefactores homines, si pietati studentes in judicij laqueos trahat. Quàm falsi & amari zeli infamiam trahere consueverunt sermones illi promiscui, qui perditissimos Reip. mores, luxuriantes viros, fœneratores & alias ejusmodi pestes vix tangunt: & Religiosorum hominum instituta, studia, virtutis opera & orationes ipsas cavillant. Non absimiles ijs Babylonij Magistratus, de quibus dicitur: *Viri ergo illi curiosiùs inquirentes, invenerunt Danielem orantem & obsecrantem Deum suum, locuti sunt Regi super edicto.* Ecce vobis populorum Magistri, vrbium moderatores quas quæstiones instituunt, quæ judicia numerant; quæ studia ad forense examen deducant. An mercatorum fraudes? an pyratarum latrocinia, an puellarum lenocinia? De his nec verbum faciunt; vnam solùm Danielis orationem traducunt; nimirum hoc est sub *pallio zeli* hominibus illudere.

Ser. 32.

Vide Celada in Iudith.

Dan. 5.

Talem zelum arguit etiam D. Iacobus, sic inquiens: *Quod si zelum amarum habetis & contentiones in cordibus vestris: nolite gloriari & mendaces esse adversus veritatem. Non enim est ista Sapientia de sursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica. Zelus amarus* de quo hic S. Iacobus est invidia: zelus dulcis, est fervens charitas:

Epist. c. 3.

tas: à qua Simon Chananæus inter Apostolos, dictus est Zelotes. Quæ sequuntur optimè explicat Libertus Fromondus: *Non enim ista Sapientia* (quæ scilicet zelum amarum & contentiones parit) *de sursum descendens*. A Patre luminum; qui est fons, vnde vera Sapientia & omne donum perfectum descendit. Et licet illud intellectûs lumen, amari & contentiosi Magistri, donum Dei esse possit: tamen qnatenus Sapientia est, connotat saporem, sive affectum voluntatis, qui quia amarus & contentiosus est: non de sursum à Deo descendit. Vera enim Sapientia debet instar apis ceram, & mel habere, vt accedat lumen scientiæ, & infundat dulcedinem gratiæ. Vnde dæmones non dicuntur sapientes, licet magnam habeant rerum divinarum humanarumque scientiam: quamquam ab hac scientia dæmones, id est scientes vocari possint, quia vocabulum *Scientia*, non ita connotat saporem, id est affectum bonum voluntatis. *Sed terrena* est; lucrorum terrenorum appetens. *Animalis*. Voluptatibus animalibus inhians. *Diabolica*. Superba & ambitiosa propter imitationem superbiæ diaboli ait S. Thomas, qui est *Super vniversos filios superbiæ*.

In Epist. Iacobi cap. 3. ad hunc locum.

Iob. 41.

Expenditur autem illud: *Nolite mendaces esse contra veritatem*: quasi amari & falsi zeli sit individua proprietas, vt in veritatem & virtutes insiliat: aperta scelera prætereat. Excutiamus ergo *pallium zeli*, aut *quasi pallium*, vt verum zelum induamus, qui secundùm Deum sit, & prudentiæ dictamen, & hunc ipsum erga nos ipsos exerceamus, vt monet D. Ambrosius præter Augustinum supra, *Non solùm locum Ecclesiæ zelare debemus, sed hanc quoque interiorem in nobis domum.* Item illud explicans Cant. 8. *Dura sicut Infernus æmulatio: Durus*, inquit, *sicut inferi zelus; quem nulla vincit vitæ hujus illecebra:*

Baëza in Evang. lib. 10 cap. 2. §. 1.

In Ps. 118. Vide Fullonium in Machab. lib. 1. c. 2.

cebra: durus per quem peccato morimur, vt vivamus Deo.
Zelum habere cupis & ejus materiam? multa, ni fallor, in te est: nihilne passiones, nihil sensus, nihil vitia contra Dei legem & gloriam moliuntur? An nunquam lingua, nunquam oculi, nunquam manus exerrant? nunquámne in ara cordis tui idolis honoris, famæ, dignitatum, commodorum temporalium sacrificatur, aut saltem suffitus aliquis, suspirio aut desiderio inani vaporatur? Tibi ergo ipsi esto Phinees, tibi Elias, tibi Mathathias, & gratissimum Deo, securissimum, prudentissimum, maximeque necessarium zelum habueris. Hactenus Fullonius noster.

§. 2. Quàm perfectus fuerit zelus Legis ac honoris Divini in B. Virgine.

ZElus Dei, quæ perfecta est & accensa charitas, vti supra ostendi ex S. Thoma; non semper violentiam adhibet, aut igne ferroque armatur; verùm etiam patientia & lenitate. Servos illos Patris familias, vt habetur apud Matthæum, quos nimius fervor, ac zelus Dominici agri, à zizanijs peccatorum eradicandis intempestivè armaverat, dum inquiunt: *Vis, imus & colligimus ea?* Dei Patris familias longanimitas & patientia cohibuit ac repressit: *Ne forte*, inquit, *colligentes zizania eradicetis simul & triticum.* Quibus verbis non solùm servos cohibet; quia temerè & nimis properè eradicando zizania, periculum erat ne simul cum eis genuinum triticum eradicarent: sed quia & ipsa zizania eradicare, & perdere volentes antequam adolescerent, & ad maturitatem pervenirent; spem eis in meliùs commutandi prorsus adimebant. Nam vt ingeniosè D. Au-

 gustinus,

gustinus, *Etiam ipsa zizania in triticum sæpe transmutantur*: ita & homines mali in bonos. Sic enim Deus Saulum, qui nimio Iudaismi zelo correptus in zizania degeneraverat, imò & segetem Domini in zizania convertebat: & Matthæum publicanum, quem spinæ divitiarum vel penitus suffocaverant, vel in zizania commutaverant; fœcundissimo verbo ad vigorem præstantissimi frumenti restituit: ex quo ejus familia pasta, & mirum in modum aucta & roborata est. Et hoc agit zelus per patientiam & longanimitatem. Conspicatus est hoc Psalmista Regius, & Ecclesiam ad divinas laudes in gratiarum actiones decantandas, in hunc modum invitat. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.* Sed quæ beneficia in hoc Cantico, ab Ecclesia Deo decantanda & recolenda continentur? quatuor præsertim. Primùm quod divinis vndique fulta præsidijs; quamtumvis Hæreticorum & Gentilium machinis oppugnetur; immobilis & impenetrabilis perstet: *Quoniam confortavit seras portarum tuarum.* Secundum, quod cives inter se firmissime pacis & concordiæ muro ita munivit, vt nullatenus vinci aut turbari possint: *Qui posuit fines tuos pacem.* Tertium, quod spiritali alimonia eosdem abundantissimè & delicatissimè pascat: *Et adipe frumenti satiat te.* Quartum denique, quod non solùm victum, sed etiam vestitum novo atque invsitato modo civibus administret: *Qui dat nivem sicut lanam.* Quid enim admirabilius quàm ex ipsa nive, ex qua frigus vehementius oritur: & quæ si corpus attingat, statim rigescit; vestem ad frigus arcendum texere, quæ instar tenuissimæ lanæ corpus foveat & calefaciat? *Qui dat nivem sicut lanam.* Hoc verò miraculum præstat Deus cùm ex peccatore, scelerum frigore gelato, hominem

Ser. 46.

Psal. 147.

minem amoris igne ſuccenſum reddit, vt etiam alios eodem igne ſuccendat. *Quid eſt*, inquit S. Auguſt. *ex nive veſtem laneam efficere, quàm de iſtis adhuc incredulis & frigidis ſpiritu, veſtem charitatis ac pœnitentiæ alijs efficere.* Atqui iſta patientia zelandi quidam modus eſt, quo peccatores ad vitæ converſionem adducantur.

In eundem Pſal.

In hoc ergo enituit MARIÆ zelus, quo innumeros peccatores divinæ Iuſtitiæ rigori ſurripuit; vel patienter exſpectando, vel judicij ſeveritatem fulminibus vndique armatam molliendo.

Cæterùm & zelum in B. Virgine alio quoque modo agnoſcere licet. Vt enim zelus ignis & flammæ naturam induit, celeritate ac promptitudine ſe prodat neceſſe eſt. Sic B. Virgo jam Deo plena, Incarnato intra ejus viſcera caſtiſſima Divino Verbo: *Abijt in montana cum feſtinatione*: ad quid obſecro, niſi vt Ioannem Baptiſtam clauſum adhuc in vtero matris, & peccato originali conſtrictum liberaret? Celeritas illa in Virgine ad charitatis zelum pertinet. *Non ſatis eſt*, inquit D. Ambroſius, *rectè facere, niſi etiam maturare quod facias? vberiores fructus habet celerata devotio.* Hinc eſt quod David non contentus in via mandatorum Dei ambulare: *Beati qui ambulant in lege tua, Domine:* Nec etiam in eadem currere. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilaſtaſti cor meum*: Colombinas etiam pennas ad volandum poſtulabat. *Quis mihi dabit pennas ſicut Colombæ, & volabo.* Cæterum fatendum eſt, majori etiam celeritate præditam fuiſſe charitatem ac zelum B. Virginis, quàm volatus Colombæ eſſe queat; ſcilicet adinſtar ignis, qui in agendo velociſſimus eſt: juxta illud quod dicit Salomon de charitate: *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum*, & ſecundum verſionem

Lib. de Cam. c. 5. *Pſal. 118.* *Ibid.* *Pſal. 37.* *Cant. 8.*

Septua-

Septuaginta: *Alæ ejus, alæ ignis.* Cui consentit D. Chrysost. agens de Thimotheo D. Pauli Discipulo, Κατὰ θεὸν ζῆλος κοῦφον ἐργάζεται τὸ πτερόν. *Zelus in Deum leves efficit alas.* Hom. 2. ad pop.

In hac eadem sacra Visitatione, in qua B. Virgo velut ferculum Salomonis, Christum Dominum ad Ioannem detulit, contemplandus est æternus Pater vnigenitum suum humana carne recens indutum his verbis vrgere. *Fili mi, discurre, festina, suscita amicum tuum*: ac si diceret: visita, Fili, futurum tuum amicum Ioannem: idque festinanter, vt citò à peccati originalis morte, ad vitam gratiæ illum revoces. Sanè Christus, tanquam patri obedientissimus, simili zelo accensus illum juvandi, accinxit se continuò salutaris gratiæ medicinam, ad mortis infirmitatem sedandam, illi exhibere: & quia ad istum zelum, adhuc vtero clausus exire non poterat; pedibus virginis vti voluit, & tum zelo ejus, tum suo ad Ioannem accurrere; quantocyus ab originali peccato liberandum. Vide Carthag. lib. 6. Hom. 4. Prov. 6.

Accessit zeli declaratio in Virgine, cum ipsa lætabunda primæ Dei Incarnati solemnitati interfuit. At quænam illa? inquies. cum inter Salutationes MARIÆ & Elizabeth, Ioannes infans necdum natus, ad salutem per gratiam vocatus est. Siquidem, vt inquit, Origenes, *Festivitas est magna Christi Dei nostri, humana salus.* Hom. 23. Num.

§. 3. Quomodo cultor Marianus, zelo accendi debeat; & quanti hoc sit momenti apud Deum.

SI *Zelatricem* agnovimus Virginem, consentaneum planè est, vt quisquis illam colit & amat; interque Marianos cultores locum obtinet; eodem zelo accendatur,

datur, sive arcendo crimini, sive honori divino, & Ecclesiæ, quæ domus Dei est, procurando decori & ornamento. Quid verò si expeditam & promptissimam ad opera charitatis esse perspexerimus? Certè si filij & cultores ejus haberi velimus, eamdem promptitudinem imitari nos oportet. Familia MARIÆ major sanè ac felicior habenda est, quàm domus Abrahæ. Quid autem de illa censuit aliquando D. Ambrosius, ex eo quod Scriptura Sacra memorat, cum ad eum tres Angeli,
Gen. 18. atque in illis tota Trinitas adumbrata divertisset. *Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata farinæ commisce, & fac subcinericios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero: qui festinavit & coxit illum.* Super quæ verba admirans Origenes & S. Ambrosius hanc Abrahæ diligentiam aiunt:
Hom. 4. in Gen. *Abraham currit, uxor festinat, puer accelerat: nullus piger est in domo Iusti.* Quantò ergo magis in familia MARIÆ, quæ justa est super omnes justos, tali diligentia ac zelo ad opus bonum ferri debemus, vt illius domestici Cultores & Sodales verè habeamur?

Iam verò si quid ad hunc zelum excitare nos debet, sine dubio est Dei ac Deiparæ in hoc imitatio: quippe vt ille *Zelotes*, & hæc *Zelatrix* jure appellatur. Addo præter hanc vtriusque imitationem, quæ summo cum honore & excellentia conjuncta est, mirabiles zeli affectus & laudes. Nam obsecro quid ille in nobis efficere non potest? Audiamus, si placet D. Chrysostomum, cujus zeli ardoribus plenissima sunt verba: ac primò cum dicit decem fideles, zelo virtutis accensos, capaces
Hom. 6. ad pop. esse ad corrigendam totam civitatem. *Sicut*, inquit, *decem accensis lucernis omnem domũ luimne facilè implere quis poterit:*

poterit: sic & in spiritualibus, si decem soli rectè egerint, & zelo præluceant, totam civitatem facilè incendent. Non enim sic flammæ natura in materiam delapsa, vicina semper ligna incendit; sicut virtutis zelus in paucas lapsus animas; sensim procedendo omnem implere civitatem poterit.

Quin perspectâ meliùs zeli efficaciâ, ad vnicum fidelem divini amoris flamma æstuantem redigere illam audet. Nam cum omnes hortatur ad fratris & proximi nostri correptionem ex charitate faciendam, rescinditque frigidum illud verbum vt loquitur: *Nulla mihi illius corrigendi cura est: cum ipso commune nihil habeo. quid ais? cum diabolo solo commune nihil habemus; cum omnibus autem hominibus multa habemus communia: ejusdem enim nobiscum naturæ participes sunt: eandem habitant terram; eisdem nutriuntur alimentis; eundem habent Dominum: easdem leges, ad eadem nobiscum bona invitantur. Ne igitur dicamus, quod nihil commune cum ipsis habeamus. Satanica est ista vox: diabolica inhumanitas. Ne igitur hæc dicamus; sed congruam fratribus charitatis curam exhibeamus. Ego autem hoc cum omni polliceor diligentia; & vobis omnibus spondeo: quod si vos omnes hîc præsentes civitatem habitantium salutem curare volueritis, brevi tota corrigetur.* Et post addit, *Sufficit vnus homo fidei zelo succensus, totum corrigere populum: quanto ergò magis si plures?*

Hom. 11 ad pop.

Nec cessat idem Doctor ad zelum animarum accendere; cum vsque eò sermonem extendit vt in isto charitatis ac zeli officio, asserat nos similes Deo Creatori reddi posse. Sic enim Deum loquentem inducit: *Ego feci cœlum & terram: eadem conditionis facultate te dono, vt terram facias cœlum. Accendi ego luminaria, Solem scilicet, Lunam & Stellas: accende & tu clariora illis.*

Hom. 55 ad pop.

Nam potes his, qui in errore sunt, veritatis lumen accendere. Majus istud beneficium est, quàm solem intueri. Homines facere non vales; at justum gratumque, Deo zelo scilicet charitatis tuæ, potes efficere: Ego substantiam feci, tu exorna animam; vide quàm te diligam, qui majora tibi faciendi potestatem tribuo. Quis ergo zelum assumere respuat in salutem animarum, cum quo & grati Deo, & tam admirabilia patrandi nobis datur facultas?

Postremò vt hic finiam, promittitur zeloso, pro gloria Dei & lege, æternitas pacis, honorisque perpetuitas: quæ merces in Phinees præcessit, filio Eleazari: cui Deus Pontificatum perpetuum stabilivit in ejus familia ac posteris; *Quia*, inquit, *zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israel.* Sicuti supra relatum est: & hoc quamdiu Iudæorum respublica & Iudaïsmus stabit. At enim nonnulli de ista promissione Phinees facta, plura comminiscuntur, & longiùs perpetuitatem extendunt. Petrus enim Damianus ait Deum voluisse, vt deinceps ipse Phinees, in præmiũ præclari hujus facinoris ex zelo patrati, viveret vsque ad finem mundi: putatque ipsum Phinees fuisse eundem, qui postea dictus est Elias: idem censuerunt veteres quidam Hebræi teste Origene. Nam Damianus citans verba hujus capitis: *Ecce do ei patrem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini ejus pactum Sacerdotis sempiternum,* Sic ait: *pacem quippe Dominus illi sui fœderis dedit: quia sedatã omnis carnis molestiã, vivere illum vsque ad finem mundi, in paradisi amœnitate constituit. Ipse siquidem est, nisi fallor, Elias Propheta, qui videlicet igneis equis translatus est in cœlum, cui nimirum Phinees nomen est à parentibus inditum: Elias verò nomen est accidens per eventum. Elias siquidem interpretatur Deus Dominus, quod ex hac occasione ei impositum*

Num. cap. 25.
Epist. 12.
Tom. 7. in Ioannem.

tum creditur: quia cum legatus à populo ad Ruben & Gad, qui novum altare construxerant, mitteretur, hoc ab eis responsum excusationis accepit. Fortissimus Deus Dominus ipse novit, si prævaricationis animo hoc altare construximus: inde ergo Phinees vocatus est Elias; vt illorum responsum, ejus videatur esse vocabulum. Censeo tamen cum Cornelio à Lapide & alijs, sententiam hanc Damiani paradoxum esse, atque adeò novam & improbabilem.

Cæterum vt Alphabeto *Elogia hæc* MARIANA concludam: certissimum est, æternitatem fidelibus omnibus, ac MARIÆ Clientibus promitti in cœlo, quibuscunque in terra arserit in penetralibus cordis, zeli Divini fervor, quo peccatum legi divinæ contrarium sive in seipsis, sive in alijs gladio verbi Dei, & pœnitentiæ quasi jaculo confoderint. Habebunt illi in cœlo constantam pacem, perpetuos honores, æternos triumphos: ad quos faxit Deus, ac Deipara Virgo, vt post hujus misserrimæ vitæ curriculum, servata virtutis statione, Divinis laudibus æternùm vacaturi, aliquando pertingamus. Amen.

IESV, *tibi sit gloria,*
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

DIZAINS

Sur les Eloges Alphabetiques de la S. *Vierge*, contenus dans ce Livre.

Advertissement au Lecteur.



CEs Dizains François, que vous allez voir icy, devoient ſuivre immediatement les Diſcours Latins, qui font le corps de mon Oeuvre : & mon deſſein eſtoit de les joindre, afin de leur donner cet agrément de la Poëſie, & les couronner, comme avec autant de bouquets de Fleurs, cueillies ſur le Parnaſſe. De vray ces Dizains ont droit de paroiſtre icy, puis qu'ils ont ſervy d'affiches & de ſemonces, à chaque Diſcours, que j'ay fait ſur les loüanges de la Sainte *Vierge*, aux Aſſemblées ordinaires de la Sodalité. C'eſt pourquoy je ne croy pas, *Amy Lecteur*, que ce petit ramas, vous pourra déplaire; puis que les Muſes d'aujourd'huy ſont toutes Chreſtiennes & chaſtes, & qu'elles font gloire de ſuivre la Sainte *Vierge*, comme leur Souveraine : & dans cet employ contribuer tout enſemble, aux agrémens de l'Eſprit, & à la devotion. Ie commence par le Nom de MARIE, comme au Latin, puis qu'il ſert de Fondement à tous les *Eloges* : & par ce que chaque Dizain eſt detaché de ſon corps; j'y avance vn petit Sommaire, afin d'y donner plus de jour, correſpondant à la matiere & au Diſcours Latin.

MARIA.

M A R I A.

CE sacré Nom MARIE, est tout à fait mysterieux. Il a tant de vertus, & tant d'influences favorables, qu'on peut dire de luy, ce qu'on dit du Soleil: *plura latent*. Puis qu'il contient & cache plus de qualités, qu'il ne découvre. Il en est de mesme du Nom de MARIE; que S. Ierome considerant dans sa source Hebraïque dit, qu'il signifie *Dame, Illuminée, & Illuminante, Estoile de la mer*. Il y a encore d'autres mysteres contenus dans ce Nom, ainsi qu'on verra au rencontre des *Eloges*. C'est sur quoy les Saints Peres, ont employé leur esprit, & donné carriere à leur devotion, nous estallant les Excellences, & les Prerogatives de ce S. Nom.

Vierge, *que vostre Nom cache de belles flames!*
Qu'il est formé d'attraits, & remply de douceurs!
Sans forcer il gaigne nos cœurs,
Et fait entrer l'Amour, & la Grace en nos ames.
Vostre Nom chasse l'ombre & l'horreur du trépas;
C'est luy qui nous anime au milieu des combas;
Qui fait peur aux Demons, quoy qu'armez de furie:
Pour parvenir à l'eternel Bonheur,
C'est assez dit, quand de bouche, ou de cœur,
Nous appellons MARIE.

ABYSSVS GRATIÆ.

CE mot d'Abysme, au sens metaphorique est de large estenduë. Toutes les choses qui semblent estre sans fonds, sans bornes, & sans rives, sont appel-

lées *Abysmes*. D'où vient que chez les Autheurs tant sacrez, que profanes, l'on trouve des *Abysmes* de tenebres, d'erreurs, de pechez, de Iustice, de misericorde, & de grace. Suivant quoy & sur ces mots du Prophete Royal *Psal.* 41. *Abyssus Abyssum invocat.* S. Bonaventure & S. Iean Damascene *Ser. de dorm. Virg.* appellent la Sainte *Vierge*, *Abysme de grace*, qui employant son intercession aupres de son Fils, implore l'*Abysme* de sa Iustice, afin de la rendre favorable aux pecheurs.

Vierge, *si l'Enfer m'espouvante*,
De souffre & de feux allumé,
Si contre moy le Ciel est allarmé,
Si mon peché me bourrelle & tourmente.
Dés que par vn soûpir me tournant vers les Cieux,
Ie porte & mon cœur & mes yeux,
Sur les brillans de vostre face:
Ie ne sens plus aucune peur
Puis que pour m'affranchir & sauver du malheur,
Dieu vous a faite un Abysme de grace.

BALSAMVM AROMATISANS.

L'Arbre qui porte le *Baume*, porte ensemble le symbole de la douceur & de la force. Son odeur, quoy qu'agreable, n'amollit pas le cœur comme les autres onguens aromatiques. Sa vertu principale est d'arrester le sang, qui coule des playes; chasser le poison & le venin. Ce que le *Baume* fait aux corps, la Sainte *Vierge* le fait aux ames. C'est l'*Eloge* que luy donne l'Ecclesiastique chap. 2. selon l'explication de S. Bernard, de Saint Bonaventure & autres.

Noble plante de la Iudée,
Baume *aymable & delicieux,*
En qui la Princesse des Cieux,
Trouve son agreable Idée.
Rien n'est pareil à vostre odeur,
Les effets de vostre liqueur,
Desarme les poisons, guerissent les blessures:
Ainsi l'odeur, Vierge, *de vostre amour,*
Et vos aimables procedures,
Nous gardent du peché tant de nuit que de jour.

COLLEGIVM SANCTITATIS.

CE *College* mystique, qui est la *Sainte Vierge*, ne peut autrement, que ravir nos esprits en admiration: Iamais il ne s'en est veu de pareil au monde. En effet Dieu y a employé toutes ses finances, pour le bâtir: sa Sapience en a dressé le plan: sa Puissance y a servy d'Architecte: la Grace y a contribué tous ses ornemens, & a concourru à la perfection de toutes ses parties. Le Saint Esprit, qui a esté le premier Regent de ce *College* mystique n'y a enseigné d'autres leçons que les Maximes de la *Sainteté.* Saint Ildefonse dit que IESVS-CHRIST a frequenté ce *College*, & qu'il s'y est rendu Escolier sous la discipline de sa Mere; dit S. Pierre Chrysologue; lequel en termes exprez appelle la S. Vierge *Collegium Sanctitatis.*

College, *où se rendent les Anges,*
Où IESVS *s'est fait Escolier,*
Afin par tout de publier,
Vierge, *vos divines loüanges.*

Nous

Nous venons aujourd'huy nous ranger sous vos Lois,
Et par vos aimables emplois,
Apprendre les Vertus, & les mettre en pratique;
Nous quittons l'Aristote, & ce qu'il a dicté,
Puis qu'on trouve chez vous la nouvelle Logique
Qui nous apprend la Sainteté.

DIOPTRA DEI.

QVoy que Dieu connoisse toute chose, & que rien ne s'eschappe à sa veuë. Les Saints Peres, sous vne consideration mystique, ne laissent pas de luy assigner quelque *Visiere & perspective morale*, avec laquelle il reconnoit ses Esleuz. Quelques vns mettent cet *Optique moral*, en la devotion à ses Playes sacrées: d'autres à la devotion que l'on porte à sa Mere. Ce qui a fait dire au B. André Evesque de Crete, & l'appeller: *Dioptra perspectiva Divinitatis. Ser. 2. de Annunt.* C'est pourquoy les pechez des Esleuz ne sont pas si funestes, puis qu'ils portent des asseurances morales du retour à la grace.

Seigneur, vos yeux découvrent tout,
Soit dans la terre, ou dans la nuë:
Vous penetrez de l'vn à l'autre bout,
Rien ne s'eschappe à vostre veuë.
La Vierge *neantmoins assiste vos regards,*
Faisant venir de toutes parts,
Ceux qu'elle anime, & touche de ses flames;
Cet Optique *charmant esveille vostre Amour;*
Car par là vous voyez toutes les belles ames,
Que vostre Majesté doit loger en sa Cour.

EXEM-

EXEMPLAR MORVM.

L'*Exemplaire*, & le Modele contribuë grandement à la perfection d'vn ouvrage: & la Copie la plus parfaite est celle, qui s'approche plus prez de l'Original. Il en va tout de mesmes, aux fait des Vertus & des Mœurs. C'est en quoy les Saints Peres considerent la perfection de la Sainte *Vierge*, que Simon de Cassia appelle *l'Exemplaire du premier Exemplaire*. Et S. Ambroise *lib. 2. de Instit. Virg.* Exemplum morum. *L'Exemplaire achevé des Mœurs, & de toutes les Vertus.*

Les Vertus icy bas paroissoient estrangeres,
L'vne marchoit sans lustre & l'autre sans vigueur:
C'estoit bien rarement qu'on vit dedans vn cœur,
Les éclats & les feux de toutes leurs lumieres.
L'Amour Divin pour faire vne leçon,
Se fit former vn escusson,
Où toutes les Vertus se tenoient en posture:
Quitez, mortels, le monde, & ses chemins tortus,
Ce Modelle, *dit-il, de grace & de nature,*
Est l'objet achevé de toutes les Vertus.

FOEMINA LVCIS.

SI l'Apostre S. Paul, escrivant aux Ephesiens, chap. 5. les appelle *Enfans de lumiere*; & que tous les Iustes composent cette categorie: faut-il pas en suite qu'il y ait vne *Femme de lumiere*, qui sert de Mere & de Nourrice, en cette generation lumineuse de la grace? C'est l'*Eloge* que donne Saint Clement Alexandrin, à la Sainte

Vierge: en quoy elle symbolise à la vaillante Iahel, que le Pere Serrarius, sur le Livre des Iuges, appelle *Fœminam Fulgorum, sive lucis*.

La Grace ayant caché l'éclat de son flambeau,
Le Crime nous tenant dans vne nuit obscure:
Il sembloit qu'vn chaos de toute la nature,
Ne voulut faire icy que l'Ombre d'vn tombeau.
L'Homme marchoit dans les tenebres,
Et par des agrémens funebres,
La Femme *l'engageoit dedans l'obscurité.*
Mais la Vierge *aujourd'huy nous r'ouvre la carriere,*
Puis qu'elle est Femme de Lumiere,
Afin de nous conduire à la Felicité.

GAVDIVM BEATORVM.

LEs Theologiens reconnoissent au Ciel, deux sortes de Ioyes, dont joüissent les Bien-heureux. L'vne essentielle, qui consiste en la claire vision de Dieu: l'autre accidentelle, qui s'attache aux objets inferieurs & creez. Tels que sont la multitude & la compagnie agreable des Saints, leur vnion & concert pacifique; la beauté de leurs corps glorifiez. En quoy la Sainte *Vierge* tient le premier rang, comme la Lune entre les Estoilles, & fait des escoulemens de *Ioye*, dans tous les Saints. C'est l'*Eloge* que luy donnent Methodius & S. Bernard.

Quoy que Dieu dans le Ciel par sa haute sagesse,
Ait posé le climat du bien & de l'honneur;
Et fait qu'en le voyant on trouve le Bon-heur,
Le Plaisir, le Repos, la Paix & la Liesse.

Neantmoins

Neantmoins ce Souverain bien,
Trouve encor vn autre entretien,
Dans les éclats & beauté de sa Mere:
Car, Vierge, *vostre aspect dans cet heureux sejour,*
Ne portant à nos yeux qu'vne aimable lumiere,
Accroist la Ioye, *& l'éclat de sa Cour.*

HAMVS DIVINITATIS.

COmme le Verbe Divin, a commencé l'estat de son Eglise par des Pescheurs, qu'il a retiré de la barque, & des filets, dont ils s'occupoient à prendre des poissons: encor aujourd'huy il se plaist au mesme employ, pour pescher les ames. Et de mesme que les poissons se prennent par les appas, & les *Hameçons*: c'est pourquoy il a mis l'vn & l'autre, dans les attraits de sa Sainte Mere, par laquelle vne infinité de pecheurs sont retirez du vice, & attirez à IESVS-CHRIST. S. Epiphane est autheur de cet *Eloge* donné à la S. *Vierge*, & reïteré par le devot Blosius Abbé de Liessies. *In Mon. Spirit.*

Vierge, *vos yeux charmans, vos douceurs agreables,*
Vostre esprit, vostre cœur animé de Bontez,
Font sur nous des exploits si doux & favorables,
Qui forcent sans forcer toutes nos volontez.
Que si le lait de la mammelle,
Est vne amorce naturelle,
Qui charme doucement le petit nourrisson:
De mesme vostre Fils pour attirer nos ames,
Que le crime a plongé dans des bourbiers infames,
De vos attraits en fait son Hameçon.

IMMACVLATA.

CE tiltre d'*Immaculée* est la source de toutes les graces, dont la Sainte *Vierge* a esté remplie du Ciel. Salomon dans les caresses de son Espouse apres ces mots de *Sœur, d'Amie, de Colombe, de Parfaite*; adjouste celuy d'*Immaculée,* Immaculata mea: avec quoy on comprend toutes les perfections, & avantages de la *Vierge*. Toute l'Eglise a conspiré de tout temps, à l'establissement de cét *Eloge*: Et qui plus est, Dieu a fait agir la Nature, par des operations miraculeuses, en confirmation de cette verité.

Vierge, *c'est dedans vous que Dieu fit vn miracle,*
D'amour, de pureté, de grace & de pouvoir,
Quand pour vous faire voir,
Il crea le Soleil pour vous servir d'Oracle.
Le Serpent envieux d'vne telle beauté,
Pensa de vous jetter dedans l'obscurité:
Mais cette audace fut à l'instant reculée:
C'est pourquoy ce jourd'huy par mille & mille vœux,
Les Chrestiens en la terre, & les Anges aux cieux,
Vous disent toute belle, & toute Immaculée.

LIBER CHRISTI.

ON dit ordinairement, qu'il ne faut qu'vn bon Livre pour devenir sçavant. Cét avantage est adjugé entre plusieurs autres, au *Livre de* IESVS-CHRIST. Ce Livre ne contient que les vertus, & les perfections de IESVS, selon quelques vns: selon d'autres, on entend,

par

par le *Livre de* IESVS-CHRIST, le Livre de vie & des Esleus, & par consequent la devotion, que l'on porte à la Sainte *Vierge*, qui est la marque des Esleus, & des Predestinez. Dans ce sentiment se trouvent, S. Epiphane, Gregoire de Nicomedie, S. Iean Damascene, lesquels luy attribuent cet *Eloge*.

Exalte qui voudra ces ouvrages de plumes,
Où paroissent l'employ des plus sçavans Esprits:
Il n'est plus question de tous ces grands volumes,
Pour se mettre en ce rang, & remporter le prix.
Vierge, *on trouve chez vous tout ce qu'on doit connêtre,*
Vous estes la Maistresse, & vostre Fils le Maistre;
Les Oracles du ciel chez vous sont conservez:
C'est pourquoy nous disons de cœur & d'allegresse,
Que vous estes à tous, Souveraine Princesse,
Le Livre *du Sauveur, & celuy des Sauvez.*

MYRRHA ELECTA.

IL est parlé aux Cantiques de Salomon, d'vne montagne d'Encens & de Myrrhe, à quoy la Sainte Espouse est comparée. Si l'Encens signifie l'Oraison; la *Myrrhe* est le symbole de la mortification & de l'amertume, laquelle s'est retrouvée en la Sainte Vierge; signamment au temps de la Passion, & de la Mort de son Fils. Pour cette cause elle est comparée à la *Myrrhe*: *Myrrha electà.* C'est l'*Eloge* que luy donne S. Augustin, Pierre Damien, S. Bonaventure. Et consideré l'excez de cette amertume & douleur dans la Sainte *Vierge*, l'Eglise ne feint pas de l'appeller la Reyne des Martyrs, *Regina Martyrum.*

Vierge, *vous voyant aux souspirs,*
Dans les accez de vostre peine extreme,
Faut-il pas qu'entre les Martyrs,
Vous remportiez le diademe?
Ces souffrants d'esprit & de corps,
Parmy leurs plus rudes efforts,
En achevant leur vie ont finy leur martyre:
Vierge, *c'est plus long temps qu'on vous voit en douleur,*
Puis que IESVS *mourant, & vous comblant de* Myrrhe,
Ordonne que sa mort survive en vostre cœur.

NEGOTIVM OMNIVM SÆCVLORVM.

L'Affaire de nostre Salut, est le haut point de tous les affaires. Il n'y a siecle, où la Sainte *Vierge* n'ait travaillé à cela: mesmes devant sa naissance, par ses ombres & figures, au vieil Testament. Neantmoins ce mot d'*Affaire*, estant pris au passif; nous pouvons dire avec S. Bernard *Ser. 2. de Pentec.* que la Sainte *Vierge* a esté l'*Affaire* & l'employ de tous les esprits, dans l'entresuite des siecles, depuis la naissance du Fils de Dieu; signamment dans l'affaire de sa Conception Immaculée.

Les Siecles courroient le hazard,
De faire vn funeste naufrage,
Si la Mere de Dieu, pour dissiper l'orage
N'auroit fait éclater ses feux de toute part.
Sa Pureté sans tache a vaincu les années,
Encore ce jourd'huy ses palmes couronnées
Paroissent à nos yeux:
Vive donc à jamais cette aimable Princesse,

Pour

Pour qui tout l'Univers s'employe & s'interesse,
Et qu'en elle Alexandre *est resté glorieux.*

Alexandre VII. Pape, en sa derniere Bulle pour la Conception Immaculée de la Sainte Vierge. L'an 1661.

OPVS EXCELSI.

CEt *Eloge*, au pied de la lettre, est du Soleil : lequel est admirable dans toutes ses qualitez, & ses effets; puis que c'est luy, qui coopere à toutes les merveilles du monde. La Sainte *Vierge*, au sens mystique, ne l'est pas moins : puis que S. Iean dans son *Apoc.* 12. escrit, de l'avoir veuë couverte de tous les brillans de cet Astre. C'est d'elle qu'on peut dire, ce qui est escrit du throne de Salomon : *3. Reg. 10. Non est factum tale opus in universis regnis.* Ainsi nous le disent Hugues de S. Victor, le Cardinal Pierre Damien, S. Bonaventure, & autres Saints Peres.

Quoy que Dieu dans l'employ de sa haute puissance,
S'est plû de faire voir dans ce grand Univers,
Parmy tant d'Ouvrages divers,
Les effets de sa Force unis à sa Clemence.
Quoy que la Lune & le Soleil,
Dans leur plus illustre appareil,
Preschent du Createur la Puissance & la Gloire:
Neantmoins, Vierge, *en ce bas lieu,*
Nous chantons la victoire,
Quand nous vous appellons le Chef-d'œuvre de Dieu.

POS-

POSSESSIO DEI.

BIen que la *Possession* passive semble tousiours d'estre attachée au ravallement : si est-ce que selon la qualité du Possesseur, elle peut estre honnorable. En effet ce qui est possedé par la lumiere, ne peut estre qu'illustre. C'est pourquoy la Sainte *Vierge*, qui a tousiours esté possedée de la grace de Dieu, mesmes dans ses Idées ; sa *Possession* ne pouvoit estre que glorieuse. C'est la pensée du B. André de Crete *Ser. de Assumpt.* La Sainte *Vierge* reconnoit cet avantage dans Salomon *Prov. 8*. par ces mots. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.*

Grand Dieu, qui soûtenez cette machine ronde,
Effet de vostre amour, & de vostre pouvoir ;
Et qui par là nous faites voir,
Que tout vous appartient sur la terre & sur l'onde ;
Neantmoins il faut dire avecques verité,
Que la possession *de grace & de bonté,*
N'est que pour vostre Mere :
Car de vray vostre amour la possede *si fort,*
Qu'imprimant sur nos cœurs ce mesme caractere,
Vous nous faites braver le pouvoir de la mort.

QVIES DELICIOSA.

LE *Repos* & le Sabbat chez les Hebreux, est d'aussi ancienne datte, que le septiéme jour du monde ; auquel Dieu se reposa, apres avoir employé six jours, à la creation de l'Vnivers. Le *Repos* du Verbe

Divin de toute eternité, a esté le sein de son Pere; depuis son Incarnation il s'est reposé dans le sein de sa Mere: mais si delicieusement, qu'il n'en seroit pas sorty, à la fin des neuf mois, s'il ne se seroit pas fait force, dit S. Ambroise. Chrysippus Ierosolimitain, Pierre Damien, S. Bonaventure *in Spec.* sont dans le mesme advis, & luy attribuent cét *Eloge*.

Agreable Sabbat, Repos *delicieux,*
Où Iesvs-Christ *s'arreste;*
Et fait comme autrefois son plus grand jour de feste,
Apres l'Oeuvre accomply de la terre & des cieux.
Vierge, *vostre Bonté fait une Ombre agreable,*
Puis que nous preparant un Repos *favorable,*
Ce lieu nous va servir d'Azile & d'Element:
Fassent ce que voudront les Courtisans du monde,
Qu'ils cherchent leur Repos *sur la terre & sur l'onde,*
Nous ne le chercherons qu'en vostre appartement.

REGINA MVNDI.

CE tiltre de Reyne est attaché si clairement à la S. *Vierge,* que le ciel & la terre contribuent aux droits, & aux appareils de son Estat. Qu'ainsi soit le Ciel luy offre ses Estoilles, pour les brillans de sa Couronne: la Mer, ses perles: la Terre son or, ses diamans, & ses fleurs. Mais son Diademe plus chery, est l'Assemblée des Fideles, qui font profession de l'aymer, & de la servir. D'où vient que cette Reyne peut dire de toutes ses Congregations, & Sodalitez; ce qu'a dit S. Paul escrivant aux Philippiens: *Gaudium meum & corona mea.*

Reyne du ciel & de la terre,
Vierge, de qui tous les portraits,
Remplis de douceurs & d'attraits,
Nous ramenent la paix, & bannissent la guerre.
Vostre Couronne annonce les beaux jours,
C'est pour vous que tous les Amours,
Employent ce qu'ils ont de riche & de plus rare :
Faites donc que chez nous s'accroissent vos grandeurs,
Et que vostre Bonté, comme Reyne s'empare,
De nos esprits & de nos cœurs.

SPES NOSTRA.

CE que l'Ancre est aux vaisseaux; la Sainte *Vierge* l'est aux âmes, lesquelles elle affermit, & retient parmy les vagues & les tempestes de cette vie, où plusieurs font naufrage. Il ne se doit passer aucun jour, que nous ne luy adressions ces paroles : *Spes nostra Salve.* Les Saints Peres parlant de cette *Esperance* que nous avons dans la Mere de Dieu, l'appellent, *tres-certaine, infaillible, eternelle;* puis qu'elle nous delivre de l'Enfer, & nous met dans la possession du Ciel. Tous les Docteurs, & Fideles Chrestiens luy avoüent vnanimement cét *Eloge*, qui nous promet, porte le soulas dans nos miseres & nos craintes.

Iaçoit que tout le ciel s'allume de colere,
Et qu'icy bas la mer s'irritant dans ses flots,
Ne fasse voir aux matelots,
Que l'image & l'aspet d'vne extreme misere.
Vierge, sans redouter ces Ombres de la nuit,
Ny la tempeste, ny le bruit,

Nous

Nous esperons d'esquiver cét orage:
Puis que vostre pouvoir,
Pour nous sauver d'un eternel naufrage
S'allie à vostre Amour, & fonde nostre Espoir.

THVRIBVLVM AVREVM.

L'Vsage des *Encensoirs*, en suite de l'ordre donné à Moyse, dans l'*Exode chap. 35. & 36.* est tousiours demeuré aux Autels & aux Prestres. Salomon en fit vne grande quantité de fin or, pour le culte divin, & le ministere des Prestres & des Levites. Au sens moral l'*Encensoir*, est le symbole de l'Oraison, figurée par la fumée, qui monte en haut. Ainsi dans l'Apocalypse de S. Iean les 24. vieillards parurent avec des *Encensoirs*, remplis de vapeurs odoriferantes, *Quæ sunt orationes Sanctorum*, qui estoient les Oraisons des Saints. Pour cette cause S. Ephrem appelle la Sainte *Vierge*, *Thuribulum aureum*, vn *Encensoir de fin or*: en quoy est marqué sa fervente & parfaite Oraison.

Encensoir, *en qui l'or a rehaussé l'ouvrage;*
Vos emplois parfumez ne sont dûs qu'à l'Autel,
Et c'est l'effet de vostre vsage
En montant vers les Cieux d'appaiser l'Immortel.
Vierge, *vostre Oraison saintement allumée,*
Montant ainsi qu'vne fumée,
Peut appaiser le ciel contre nous irrité:
Faites que tous nos cœurs joints à vostre priere,
Portez sur ce char de lumiere,
Ressentent les effets de vostre pieté.

VITÆ ARMARIVM.

LE desir de la vie, est l'vn des plus doux, & ensemble des plus puissans, qui se retrouvent dans la nature. Ce desir dans les hommes est merveilleux : & fait que les Vieillards, qui n'ont plus qu'vn reste de vie mourante, n'espargnent ny or, ny argent. Transportez ce desir de la vie corporelle, à celle de l'ame, & de l'esprit, & l'on trouvera des adresses favorables pour la conserver: puis que la S. *Vierge* en est l'*Armaire*; au dire de Chrysippus Prestre de Ierusalem.

Vierge, *c'est avec vous que tout le monde treuve*,
La Grace, le Bon-heur, la Ioye & la Santé:
L'arrest de vostre volonté
Est vn arrest que tout le ciel approuve.
Tous nos jours ne sont plus attachez au fuseau,
Ny sujets au cizeau,
Puis que par vous la mort nous cede la victoire:
Comme dans vn Armaire, *on recontre à nos vœux,*
De quoy nous rendre heureux,
Et la vie du corps, de l'ame, & de la gloire.

ZELATRIX DIVINÆ LEGIS.

SI l'Amour symbolise avec le feu, au dire des Philosophes: le *Zele* en est comme la flame, qui éclate, & qui agissant en droite ligne, fait des merveilles, aussi bien dans la Morale, que dans la Nature. Ce *Zele* s'est trouvé dans la S. *Vierge*, dans sa plus haute perfection: & il faut avoüer qu'apres IESVS-CHRIST, il ne s'est veu nulle part

plus

plus luisant, ny plus actif, qu'en sa Sainte Mere. Carthagena luy donne cét *Eloge*, suivy du devot Blosius Abbé de Liessies: avec quoy j'acheve cét Alphabet.

Plût à Dieu que ce beau Feu brûle dans nos ames, & nous fasse porter la livrée du Fils & de la Mere: nous detachant du vice, & nous consacrant à la Vertu & à l'Eternité.

Ce que fait un grand Feu, quand il s'attache au bois,
Illustre en son progrez, glorieux dans sa flame;
Le Zele dans une ame,
S'avance au mesme pas, & suit les mesmes Loix:
Dés qu'il brûle un bon cœur, il l'esleve de terre,
Il foudroye, il abbat, par tout il fait la guerre:
Cependant son brasier est agreable & doux.
Vierge, *puis qu'on vous dit Amante &* Zelatrice,
Pour aimer les Vertus & terrasser le vice,
Armez nous de vos feux, pour agir comme vous.

CONCLVSION A LA SAINTE VIERGE au nom de toute la Sodalité.

Reyne de l'Univers, Emperiere des Anges,
Qui suivant les Arrests de vostre Majesté,
Font sçavoir icy bas que toutes vos loüanges
Ne sont que des éclats d'amour & de bonté.
Permettez en cela que nous puissions les suivre,
Et declarer à tous, que vous aimer, c'est vivre,
Et prendre le chemin de la Felicité.
De fait puisque chez nous tout s'eclipse & se passe,
Pour vous voir dans le Ciel, faites nous cette grace,
De vivre & de mourir en la Sodalité.

I'adjouste icy à l'edification de plusieurs ce peu de Vers Latins & François, de feu Monsieur Nicolas Preud'homme Escuyer, en son temps Prevost de la Ville de Tournay, & Prefect de la Sodalité. Ie les ay citez au Prelude de cét Oeuvre: mais sans le produire; n'ayant pas desiré qu'on y mit son nom. C'est pourquoy j'ay crû qu'apres sa mort, il m'estoit permis de ce faire, sans offenser personne; à la loüange de la S. Vierge, & au contentement de ceux, qui ont connu sa vertu, & sa pieté.

DE NOMINE IESV ET MARIÆ.

Dulce MARIA tuum, quàm dulce est nomen IESV!
O! mihi vel solo nomina amanda sono.
Hæc prima edocuit pendentem ex vbere mater:
Vltima cum moriar dicere verba volo.

Ces beaux Noms tout d'amour de IESVS *&* MARIE,
En prenant le tetin que ma mere m'apprit:
Ce seront les derniers qu'à la fin de ma vie,
Ie diray doucement en rendant mon esprit.


IESVS, MARIE.

ANAGRAMME.

IE SVIS ARME'.

Ayant ces Noms au cœur, ou bien dedans la bouche,
Ie ne crains pas la foudre, ou que la mort me touche;
Tout l'Enfer contre moy puissament allarmé,
Ne sçauroit pas me nuire estant si bien armé.

INDEX



INDEX ELOGIORVM ET PARAGRAPHORVM.

Errata sic corrige.

Folio 7. proximus, lege proximiùs. Ibid. Trinitatis, l. Trinitas. fol. 50. vigesimum, l. trigesimum. fol. 122. tu, l. te fol. 136. Hoc, l. hic. fol. 144. enim, l. eum. fol. 163. Sapientia, l. Sapientis. fol. 223. faciem, l, faciam, Ibid. quisnam, l. quisquis. Reliqua minutiora facilè per se corriget benevolus Lector.

FINE